priori, cur hoc sacr. existenti in periculo mortis violento nõ ministratur, quamvis etiam tunc subsit Dæmonum tentationibus, & mortis difficultatibus est ejus institutio; convenientia vero à posteriori est, ut notat Hiq. *loc. cit.* est, quia tunc non gravatur ejus libertas per morbum, quia alia remedia adhibere possit sui plene compos, & integer sensu: at infirmus corpore, & infirmitate gravatus aliam habet dispositionem sensuum, phantasmatum, & virium, quibus ob morbi vehementiam distrahitur, ideòque in tali statu, & periculo specialem requirit excitationem, & consortationem.

79 Tertio arguunt, quia deletio venialium per hoc sacr. non est absoluta, sed conditionata, ut constat ex illis Jacobi verbis, *& si in peccatis est, dimittentur ei*; ergo non est effectus ejus primarius, nam finis sacram. principalis debet esse quid absolutum, & planè talis loquendi modus de venialium deletione, si adsint, manifestè ostendit, quòd ipsa non primò intenditur. Conf. quia si hic esset primarius effectus, hoc sacram. plures nullitati exponeretur, quando, sc. non adessent venialia, & fuissent per præcedentia sacr. remissa. Deniq; si hoc sacram. est institutum, ut in exitu hujus vitæ perfectè sanet hominem à venialibus, sequeretur, hoc sacramentum non esse ministrandum, nisi in extremo vitæ articulo, quia si unus dies, vel una hora superest post ejus susceptionẽ, poterit homo rursus venialiter peccare, & sic nõ perfectè sanaretur, nec sacram. suum causaret effectum infallibiliter, imò Minister semper maneret dubius, an illud ministrare debeat, quia non omnis infirmus periculo mortis expositus semper moritur, & hoc sacram. talem suum effectum non poneret, nisi in moriturò, nisi enim moreretur, non perfectè à venialibus sanaretur, quia rursus in illa incideret.

80 Resp. negando assumptum, deletio enim venialium per hoc sacramentum est absoluta, & infallibilis, si adsint peccata, & sicut si diceremus, ignem comburere ligna, si adsint, hinc non sequitur, ignis combustionem esse conditionatam, ita etiam discurrendum est in proposito; conditionatè autem D. Jacobus est locutus ad excludendum casum, quo infirmus antequam ungeretur, fuisset à venialibus absolutus per sacramentum Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ, aut alia sacramentalia; Et sic etiam communiter de quolibet sacramento dici solet, quòd si adsit capacitas in subjecto, suum effectum producunt, nec ob id sequitur, eorum effectum esse conditionatum, non absolutum.

Ad Confirmationem negatur consequentia, quia sacramenti validitas non attenditur tantùm penes effectum, quem actu causat in suscipiente, sed quem causare potest, si capacitas adsit, undè Baptismum B. Virgini collatum non propterea dicimus invalidum, quia originale in ea non delevit, cùm ab eo in sua Cõceptione immunis fuerit, siquidem virtutem habebat delendi, si illud contraxisset, & gratiam de facto causavit illius remissivam, undè licèt de facto originale non remiserit, non propterea nullitati expositus fuit; ita igitur dicẽdum est in proposito de extremâ unctione in ordine ad remissionem venialium, quod non propterea nullitati exponeretur, si venialia delenda nõ reperiret, quia adhuc virtutem haberet eorum remissivam, si adessent, & quando etiam effectus hic negativus deletionis non poneretur, adhuc alii effectus positivi sequuntur, scilicet, gratiæ augumentum, animi alleviatio, & corporis sanitas, si animæ expediat; Et argumentum potest etiam retorqueri, nam effectus alleviationis, & confortationis, quem Adversarii ponunt, esse hujus sacramenti primarium, & principalem, non semper infirmo contingit, nimirum in casu, quo infirmus usum perdit rationis, & sensuum. Ad ultimum negatur utraq; sequela, cùm enim Concilia doceant cum D. Jacob, etiam corporis sanitatem esse hujus sacram. effectum, si animæ sit expediens, hinc clarè deducitur, etiam in non proximè moriturò suos producere effectus; quoties ergo ita decumbit ægrotus, ut Medicorum judicio morti sit proximus, si hoc sacramentum ministratur, venialium remissio, & cæteri effectus habentur, etiam si ex ea infirmitate non debeat mors succedere, ut notat Brancatus noster *l. c.* ubi etiam benè advertit, argumentum quoque ab Adversariis esse solvendum, fieri enim potest de aliis effectibus, scilicet, de gratia, mentis alleviatione, abstersione reliquiarum peccati &c. nam ipsi quoque concedunt cum Concilio, quòd infirmo in extremis posito sit dandum, unde si infirmus non moriatur, & rursus in peccata incidat, emergit difficultas, quomodo sacramentum in eo habuerit effectum perfectè abstergendi peccatorum reliquias, quem aliqui eorum ponunt principalem effectum.

81 Quartò præterea objiciunt ad ostendendum, quòd alleviatio infirmi, hoc est, erectio, & cõfortatio ipsius sp. divinę misericordię, ad superãdas morbi difficultates, & Dęmonis tẽtationes sit effectus primarius, & principalis hujus sacram. nam in sacramentis primarius effectus, & finis coincidunt; sed finis hujus sacramenti ex Concil. Trid. in prœemio de ipso est munire hominem firmissimo præsidio in fine vitę contrà Dęmonum tentationes, qui tunc vehemẽtiùs insidiantur infirmis; ergo tale subsidium est effectus principalis ejus. Conf. quia hoc sacramentum institutum est pro jis, qui utique ad periculum mortis ægrotant; ergo est institutum propter specialem aliquã necessitatem, quæ in tali articulo occurrat; nulla autem alia fingi potest, quàm prædicta, nam hoc ipsũ significat ex exterior unctio, per oleũ, cujus virtus est corroborare, & disponere luctatores ad pugnam. Demum, quia in omnibus aliis necessitatibus sufficienter provisum est homini per alia sacr. ergo hoc sacr. debet esse pro necessitate in articulo mortis, ut tunc nõ succubat homo tentationibus, & ex his deducunt, specialẽ gratiam sacr. hujus non consistere in sola remissione, seu expulsione alicujus mali culpę, aut penę, sed pręcipuè in collatione auxiliorũ gratiæ, quibus homo in tali casu juvatur, & corroboratur ad bene speradũ de miseric. Dei ad hilaritatẽ animi cõcipiẽdã, & ad tẽtationes superãdas.

82 Resp. Poncius ex nostris *disp. 47. q. 3.* gratis concedendo, solam finalem venialium remissionem non esse primarium, & principalẽ hujus sacramenti effectum; sed talem effectum ait, esse liberare à venialibus, alleviare infirmum & curare infirmitatẽ ejus, si sit animæ expediens, itaut quilibet ex his effectibus sit principalis, & primarius, sed inadæquatus effectus ejus, quod ibi pluribus probare conatur, licèt fateatur esse contrà communem Doctorum sententiã, qui unum ex illis spiritualibus, tanquam primarium, & principalem agnoscunt, alios verò tanquam secundarios, & minùs principales. Et quidem hic loquendi modus sicut est communior, ita & melior, & magis consequenter ad ea, quæ in superioribus dicta sunt de aliis sacram. quia quodlibet sacramentum plures, & diverso habet effectus, & quidem omnes per se intentos, & ex vi institutionis eorum, quos tamen omnes non appellamus primarios, & principales, sed unum primarium, nempè illum, qui ex sensu primario, & expresso formę exprimitur, alios verò secundarios, & minùs principales, licèt adhuc per se intentos, cùm enim sacram. novæ legis efficiant, quod significant, ille putandus est effectus primarius sacramenti, quẽ forma ipsa sacramentalis significat; Quare cùm in proposito per formam hujus sacram. exprimatur remissio peccatorũ, ut apertè constat ex illis verbis; *Indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti. &c.* non potest hic effectus esse secundarius, sed primarius, censeri debet, licèt adhuc fatendum sit, animi etiam roborationem, & confortationem esse proprium hujus sacramenti effectum, & per se intentum ex vi institutionis ejusdem, neque aliud probant rationes allatæ; Undè ad primam negandum est assumptum, nam etiam finis sacramentorum solet à Theologis distinguì in primarium, & secundarium, licèt uterque sit per se intentus, & ex vi institutionis sacramenti, & per finem primarium intelligunt illum, qui ex primario, & expresso formæ colligitur, unde licèt Trid. *sess. 14.* in prœemio dicat, finem hujus sacramenti esse munire hominem firmissimo præsidio in fine vitæ, non tamen exprimit, esse finem primarium, sed solùm innuere voluit, esse finem per se intentum, & ex vi institutionis hujus sacramenti, posteà verò *c. 2. & can. 2.* declarat, primum, & prœcipuum hujus sacramenti effectum esse remissionem peccatorum, secundum verò, ac veluti ex hoc primo orientem recenser alleviationem animæ per excitationem fiduciæ in divina misericordia, ut dictum est *a. prac. n. 68.*

Ad Conf. negatur subsilata minor, quia propter necessitatem illam adest alia remissionis peccatorum, quando adsunt, quæ est major, cùm sæpiùs ex morbi vehementia alia non possint adhiberi remedia pro deletione venialium, quorum præsentia causat torporem, & languorem, ac difficultatem resistendi Dæmonum tentationibus in illo agone, remissio verò per hoc sacramentum causat maiorem charitatis ardorem, & fiduciam in divina misericordia, effectus primarius trahit secum secundarium.

Ad ultimum patet per idem, & gratis concedimus, specialẽ gratiam hujus sacramenti non consistere in sola remissione alicujus mali culpæ, aut pœnæ, sed etiam in collatione auxiliorum gratiæ, quibus homo roboratur contrà tentationes ad concipiendam fiduciam divinæ misericordiæ ex effectu remissionis peccatorum omnium tàm per pœnitentiam, quàm etiam per hoc sacramentum, uterque enim horum effectuum est hujus sacramenti specialis, & proprius, & ex vi institutionis ejusdem per se intentus.

83 Quintò ulteriùs arguunt Auctores tertiæ sententiæ ab initio quęstionis citati concedentes quidem, effectum sacram. primarium esse peccatorum remissionem, at non tantùm venialium, ut nos dicimus, sed etiam mortalium, quæ non fuerunt per alia sacram. remissa, vel post eorum susceptionem fuerunt commissa, sed invincibiliter ignorata; arguunt, inquam, quia Tridentinum *sess. 14. cap. 2.* ait, prœcipuum hujus sacramenti effectum esse peccata, si quæ sunt, delere, & reliquias peccati abstergere; at nomine reliquiarũ peccati nihil aliud meliùs intelligi potest, quàm peccata tam venialia, quàm mortalia, quæ inculpabiliter latent, & quæ per alia sacramenta, vel contritionem non sunt remissa; nam reliquiæ debent esse ejusdem rationis cum jis, quorum sunt reliquiæ, alioquin excrementa essent, & non reliquiæ, & ideo reliquæ peccatorum debent aliquo modo convenire in ratione malitiæ cum peccatis, solùmque dici reliquiæ peccatorum, quia sunt relicta, & non remissa per alia sacramenta, vel actum contritionis.

Confirmatur ex forma hujus sacramenti, quæ talis est, *Indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum &c.* nõ autem dicit restrictè quicquid venialiter deliquisti, sed simpliciter quicquid deliquisti per visum &c. quod potissimum ad peccata mortalia refertur, ergo ejus effectus non est solùm venialia remittere, sed etiam mortalia, vel inculpabiliter ignorata, vel per alia sacramenta non remissa, aut per contritionem; neque enim totum est ad venialia restringere, quod D. Jacobus generatim, & absolutè peccatum vocat. Denique Apostolus ibi conditionatè loquitur dicens, *Et si in peccatis fuerit, dimittentur ei*, ergo non de solis venialibus loquitur, sed etiam de mortalibus, nam omnes habent venialia, undè si de solis venialibus loqueretur, non esset locutus conditionaliter.

84 Respondetur, quòd licèt Conc. *l. c.* ita loquatur, tamen posteà eadem *sess. 14. can. 2.* ubi effectus huius sacramenti recenset, reliquias peccati non nominat, sed solùm delicta, & infirmi allevationem dicens, *Si quis dixerit, sacram Infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, anathema sit*; undè certum est, quòd peccata dimitit & infirmum alleviat; per priora autem verba in capitibus doctrinalibus ostendit, se noluisse hanc dispositionem definire, quæ est inter Scholasticos de reliquiarum peccati remissione, cùm inter se non conveniant, quid tali nomine sit intelligendum, ut constat ex dictis *ar. 1. n. 66. n.* undè quando etiam tali nomine intelligeremus peccata mortalia, quæ inculpabiliter latent, & quæ per alia sacramenta, vel contritionem non sunt remissa, ex doctrina Concilii non necessariò deducitur, effectum primarium hujus sacramenti non esse tantùm venialium remissionem, sed etiam mortalium, quæ inculpabiliter ignorantur, vel per alia sacramenta non fuere remissa; imò talis expositio directè repugnat expositioni Catechismi Romani, qui declarat, per peccata hoc sacramento remittenda intelligenda esse peccata venialia, quia mortalia tolluntur per sacramentum pœnitentiæ, & ait, quòd hoc sacr. primario loco ad graviorũ criminũ remissionem non est institutum, sed Baptismus tantùm, & Pœnitentia vi sua hoc efficiunt, ut *l. c.* dictum est *n. 68.* adhuc tamen concedimus, per hoc sacramentum mortalia quoq; remitti inculpabiliter ignorata, vel per alia sacramenta non remissa, per accidens tamen, & secundariò, non per se, & primariò, ut dictum est *ar. pręc. n. 71.*

Ad Confirmationem benè inquit Faber, non esse novum in Scriptura hunc loquendi modum, ut peccatum absolutè nominet, estò de uno genere peccatorum intelligat, quando enim à Christo Domino sacramentum pœnitentiæ fuit institutum, dixit Jo. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt &c.* & tamen certũ est, eum de peccatis actualibus hoc intellexisse, non de originali, quod solùm baptismo diluitur. Itaque per peccata hoc sacramento remittenda intelligenda sunt venialia, ut Cathechismus exponit, mortalia verò nonnisi per accidens, & secundariò, modo superiùs explicato, nam per se loquendo peccatum mortale est obiectum, & materia necessaria penitentiæ, non autem extremæ unctionis. Ad ult. iam dictũ est suprà *n. 80.* conditionem illam ab Apostolo appositam esse, etiãsi de solis venialibus loquatur, ad excludendum casum, quo infirmus antequam ungeretur, fuisset à venialibus absolutus per sacramentũ pœnitentiæ, vel Eucharistiæ, aut alia sacramentalia; undè in hoc sensu optimè datur locus conditionali, etiamsi de solis venialibus loquatur: Imò si per peccata intelligeret Apostolus tantùm mortalia, ut quidam ex Adversariis contendunt anthonomasticè, ratione quorum verificaretur illa conditionalis, iam non esset amplius, locus probandi, in hoc sacramento peccata venialia dimmiti, quod nec etiam ipsi ad mittunt.

85 Postremò arguunt adducendo casus, in quibus necessariò fatendum est, etiã peccata mortalia in hoc sacramẽto per se remitti, & ex vi institutionis eius: Primò enim potest infirmus post ultimam confessionem, & communionem in aliquod peccatum mortale incidere, cuius invincibiliter obliviscatur, in quo casu cùm nõ teneatur ampliùs confiteri, cùm nullam habeat peccati conscientiam, debet aliquod remedium habere, quo possit huiusmodi peccatum remitti. Secundò potest infirmus confiteri, & communicare invalidè defectu doloris supernaturalis ad sacramentum cõfessionis essentialiter requisiti, invincibiliter putans, se validè & cõfiteri, & communicare, ergo etiam in hoc casu debet habere aliquod remedium, quo possint peccata per talem confessionem, & communionem non remissa deleri. Tertiò tandẽ sæpè accidit, ut infirmus existens in peccatis cum sola attritione incidat in phrenesim, vel loquelam, & sensum amittat, ut nullum valeat dare signum confessionis, in quo casu, cùm sit valdè frequens, ad Christi clementiam pertinuit aliquod sacramentum institui, quo possit infirmus iuvari ad æternam salutem consequendam; Cùm igitur in hoc casu iuvari non possit sacramento confessionis, vel communionis, cùm sæpè neque istius sit capax, aliquo alio sacramento iuvari debuit; hoc autem est sacramentum extremæ Unctionis, quod præcipuè propter huiusmodi casus sequenter occurrentes videtur à benignissimo Salvatore nostro Christo institutum, ita discurrunt Bellarm. de extrema unctione *lib. 1. c. 8.* Amic. *d. 19. sec. 6.* & Averſa *q. un. de hoc sacramento sess. 6.* ubi ait, pium esse credere Christum Dominũ pro abundantia pietatis suæ, & pro extrema, ac summa indigentia hominis in illo extremo mortis articulo, quo irreparabiliter imminet externæ ruinæ discrimen, per se, & ex interno considerasse talem casum, si homo post susceptum pœnitentiæ sacr. de novo in aliquod delictum incideritt, de quo amplius confiteri, & absolutionem petere non possit; aut si de peccatis anteà commissis non fuisset validè confessus, & absolutus, sivè ex defectu suo, sivè Ministri, aut non potuisset pœnitùs confiteri, utpotè si subitò incidisset in phrenesim, credibile est, Christum Dominum per se, & ex primaria sua intentione instituisse hoc sacramentum ad hunc finem, & effectum, ut si inveniat peccata remissa quoad culpam, abstergat eorum reliquias; si verò inveniret peccata integra quoad culpam, ea ex tunc deleat, & ita utrumque per se, & primariò dicatur cadere sub intentione Christi.

86 Respondeo, quòd licèt hæc omnia sint satis probabiliter dicta, non tamen convincere intentum, quia ut patet ex dictis *ar. pr. n. 77.* ad utilitatem, & efficaciam huius sacramenti, & ad provisionem infirmis necessariam in extremo vitæ laborantibus sufficit, ut saltem per accidens, & secundariò peccata etiam mortalia, invincibiliter tamen ignorata, remittere possit, & quidem cum maiori certitudine, quàm faciant alia sacramenta vivorum, ut dictum est ibidem *n. 74.* qui enim bona fide ad sacramentum accedit, & invincibiliter ignorat, se esse in peccato, obicem non ponit, & consequenter gratiam recipit, quæ per tale sacramentum conferri solet obicem non ponenti, quę quia cum peccato consistere non potest, de potentia saltem ordinaria, statim illud expellit, & delet; sivè autem id faciat per se, sivè per accidens, sivè primariò ex vi suæ institutionis, sivè secundariò hoc parum referre videtur, quia quocunque modo dicatur, sufficienter necessitati infirmorum in prædictis casibus est provisum, qui est punctus principalis in hac difficultate præ oculis habendus. Et quidem apud omnes certum est, sacram. extremæ unctionis in hoc præsertim differre à baptismo, & pœnitentia, quæ dicuntur sacramenta mortuorum, quoniam in his duobus licitè potest homo scienter, & ex intentione sua accedere cum sola attritione expectans primam iustificationis gratiam ex ipso sacramento; sed antè unctionem tenetur, homo, si sit sui compos, confessionem, vel contritionem præmittere, itaut studeat, quantũ in ipso, est, hoc sacramentum suscipere in statu gratiæ, quod totum, ac etiam sub eisdem verbis concedit Aversa loc. cit. Sed si verum esset, hoc sacramentum per se primò, & ex vi suæ institutionis fuisse ordinatum, non tantùm pro finali remissione venialium, sed etiam mortalium saltem inculpabiliter oblitorum, itaut in prædictis casibus ex vi primaria sacramenti primam iustificationis gratiam conferret; talem diligentiam non teneretur facere, & facta etiam suppositione alicuius peccati inculpabiliter obliti, posset ad hoc cum sola attritione ad hoc sacramentum accedere, quod admittendum non videtur, quia semper studere debet, quantum in ipso est, hoc sacramentum in statu gratiæ suscipere; & hoc etiam ultrò Adversarii quoq; concedunt: posset, inquam, homo etiam facta peccati mortalis suppositione cum sola attritione ad hoc sacramentum accedere, quia in opposita sententia est aliquo modo etiam Sacr. mortuorum ex vi suæ institutionis, respectu nimirùm mortalium inculpabiliter oblitorum; at ad sacramenta mortuorum potest quis scienter, & ex intentione cum sola attritione accedere, quia ab illis primam iustificationis gratiam expectat, ut patet de Baptismo, & Pœnitentia; sic ergo paritet discurrendum esset de extrema unctione in ordine ad remittenda peccata invincibiliter oblita, si ex vi institutionis eius etiam ad eorum remissionem ordinata fuisset; quarè præstat dicere, talem remissionem illi convenire solùm per accidens, sicut aliis vivorum sacramentis, licèt cum maiori certitudine, ut supradictum est.

QUÆSTIO QUINTA.

Quando hoc sacramentum suum conferat effectum.

87 HÆc quęstio procedit de primario, & principali effectu huius sacramenti, nimirùm de effectu gratię habitualis & remissionis peccati, nã alios duos effectus confert tantùm, quando est necessarium infirmis, & iuxta temporum, & occasionum opportunitatem: gratia autem habitualis, & remissio peccati datur in uno aliquo instanti. Cùm igitur hoc sacram. multis constet unctionibus, & formis, quęritur, an tota gratia detur statim post primam unctionem, an post omnes simul sumptas, vel an potiùs distribuantur partialiter, & successivè in singulis, in qua difficultate sunt varii modi dicendi hic breviter examinandi.

ARTICULUS PRIMUS.

Discutitur Quæstio.

PRimus dicendi modus est gratiam habitualem non conferri, nisi per ultimam unctionem, idest, per eam, quæ reipsa est ultima ex intentione Ministri ungẽtis, sivè hoc sacramentum ministretur quinque unctionibus, quę tantùm sunt de essentia, sivè semper, quę solùm sunt de integritate sacramenti, undè si Minister vult sacramentum ministrare per septem unctiones, effectus gratiæ non dabitur, nisi post septimam: si verò per quinq; gratia dabitur in fine quintæ; Secus autẽ discurrendum est, si Ministri intentio referretur ad primam, vel secundam, aut tertiam, tanquam ultimam, quia

cùm in hac sententia ad minimum quinque unctiones sint de essentia, etiamsi Minister intentionem haberet conferendi gratiam per primam, vel secundam unctionem, illam non conferret, quia ut sacramentum suum conferat effectum, supponi debet completum quoad essentialia, quod complementum in allato casu non haberetur, atque ideò neque effectus sacramenti defectu essentialis complementi; ita Dominicus Soto 4.*d.*23.*q.*1.*ar.ult.* Henriq. *lib.*3.*de sacramentis c.*13.& alii.

88 Hæc opinio communiter reiicitur, & quidem rationabiliter, nam si duæ postræmæ vnctiones ex illis septem, scilicet, renum, & pedum non sunt de essentia, non potest Minister efficere per suam intentionem, ut sacramentum essentialiter perfectum per quinque unctiones suum effectum non conferat, donec addantur aliæ duæ unctiones; quæ ad essentiam, & necessitatem non spectant, sacram. enim statim, ac perfectum est, & essentialiter completum, effectum confert, neque id pendet ab intentione privata Ministri, modò intentionem habeat generalem faciendi, quod fecit Christus, vel facit Ecclesię, hæc enim intentio Ministri ad validitatem sacramenti necessaria est, intentio autem privata nihil facit.

Confirmatur, quia data hac doctrina posset dari casus, in quo infirmus totum susciperet sacramentum quoad totam suam essentiã, & tamen nullam reciperet gratiam ex defectu intentionis Ministri; nam si Minister, v.g. ad septimam unctionem suam refert intentionem, utique post quinque unctiones completas, quæ tantùm sunt de essentia sacramenti, & quibus solùm tota completur essentia sacramenti, non adhuc gratia confertur defectu intentionis Ministri, quæ ad septimam relata supponitur; si verò interim casu eveniat, quòd quinque unctionibus expletis antè sextam, vel septimã infirmus moriatur, iam neque adhuc vllam recipit gratiam non obstante, quòd sacramẽtum susceperit quoad totam suam essentiam perfectum, & completum; quod est omninò absurdum, quia cùm sacramenta ad instar causarum naturalium gratiam conferant, ut dictum est *d.*1. de sacram. in genere, statim ac ad eam causandam sunt idoneæ, illam conferunt; at statim, ac sunt in sua essentia completæ, & perfectæ, censentur ad causandam idoneæ, & in actu primo proximo causandi constitutæ, perindè ac causa naturalis: ergo tunc suum causabunt statim effectum absq; ulla dilatione à privata Ministri intentione causata, quæ ad hoc nihil omninò facit; alioquin posset Minister intentionem habere non conferendi gratiam, nisi post vigesimam, vel trigesimam unctionem, nam eodem modo hæ sunt extrà numerum quinque unctionum essentialium, ac septima unctio, ut benè arguit Amicus *d.cit.sess.*7.

89 Secundus dicendi modus asserit, extremam unctionem causare effectus suos, quando unctiones faciendæ completæ sunt, vel si omnes non sunt faciendæ, quando ultima ex faciendis perfecta est; ita Branc. noster *d.*11.*cit.art.*16.§.6. consequenter ad ea, quæ dixerat 4.*d.*23 nimirùm omnes singulas unctiones esse de essentia huius sacramenti, quando omnes fieri possunt; cùm autem supervenit mors, illes solùm esse de essentia, quæ iam factæ sunt, & unam quoque, si una tantùm facta est; Probat assertum quoad primam partẽ, quia alia sacr. suum causant effectum, quando completa sunt, hoc autem sacr. ex Sc. 4.*d.*23. est unum non vnitate indivisibilitatis, sed integritatis, ergo quando integraliter factum est, & suis unctionibus completum, tunc suum præstat effectum. Deindè probat quoad aliam partem, nam accidere potest, ut cùm fit unctio, vel infirmus, vel Sacerdos ungens moriatur & aliæ unctiones fieri non possint; & tamen negari tunc nequit, effectum huius sacramenti infirmo præstari, alioquin non esset benè consultum infirmis eo vel maximè, quia præcipitur, ut eis in extremo vitę periculo positis conferatur, igitur semper videntur expositi periculo, ne omnes unctiones perficiantur. Accedit, quòd tempore contagii licitum est in aliqua, vel aliquibus tantùm partibus infirmum ungere, ut docuit Vniversitas Lovanii anno 1588. ergo multò magis præstabit effectum, quãdo ex morte supervenienţe impedimentum est, ne cæteræ unctiones perficiantur.

90 Hæc tamen opinio iam explosa fuit *q.* 3. *art,* 1. *n.* 52. utpotè quæ vagam nimis assignat huius sacramenti essentiam, & eius materiam proximam nimis incertam, & confusam, ut quandoque in una tantùm unctione consistat, quandoq; in tribus, vel quatuor, & interdum in omnibus iuxta ægrotantis statum, & periculum; cùm tamẽ alia Sacramẽta certam, & determinatam materiam ex eorum institutione habeant; Accedit, quòd sine tali, ac tanta materiæ huius sacramenti incertitudine, & confusione potest adhuc eius institutio sic declarari, ut etiam simul cum certitudine materiæ sit sufficienter provisum, & consultum infirmorum necessitati, & utilitati in extremo vitæ periculo; si nimirùm dicamus, totam gratiam in hoc sacramento statim conferri, cùm primùm prima unctio applicata fuerit cum sufficienti verborum forma, licèt aliæ unctiones, quando adhiberi possunt, sint necessariæ necessitate præcepti, & cõcurrunt, si non ad essentiam, saltem ad integritatem sacramenti cõstituendã: Vel cum aliis asseramus, in singulis Vnctionibus, & formis Vnctionibus correspondentibus partialem gratiam conferri, nam iuxta has sententias sine tali, ac tanta incertitudine materiæ, qualis ponitur ab hoc secundo dicendi modo, sufficienter provisũ est casibus, qui possunt in hoc sacramẽto suscipiendo occurrere infirmo, ut si moriatur antè quinq; unctiones expletas: nã iuxta priorem sententiam accipit totã gratiam in prima unctione, iuxtà posteriorem verò accipit gratiam saltem partialem, undè etiamsi moriatur, antequam accipiat reliquas, moritur cum gratia sacr. non ergo ad evitandum periculum perditionis infirmi in allato casu tenemur, & cogimur asserere, extremam Vnctionem suum effectum causare, quando Vnctiones faciendę completę sunt, vel si omnes nõ sunt faciendę, quando ultima ex faciẽdis perfecta est, ut asserit hic secundus dicendi modus; Scio, utrumq; sententiam à Branc. reiici, primam quidem, quia si in prima unctione tota gratia daretur, cæteræ essent superfluæ: secundam verò, quia sic gratia per partes, seũ gradus causaretur, & auxilia, sivè alii effectus istius sacr. partialiter darentur, imò & peccata remittẽda per frustra dimitterẽtur, quòd est incongruum respectu Dei, qui perfectè sanat, quem sanat, & respectu infirmi, qui iis indiget adiutoriis. Et tandẽ quia novũ quid, & sigulare de hoc sacramento diceretur, quod de nullo alio verificari potest.

91 Cæterum hæc sunt parvi momenti, quia etiam admisso, quod in prima unctione tota gratia daretur, non benè deducitur, cęteras esse superfluas, nam licèt aliæ non sint necessariæ necessitate Sacramenti, sunt tamen necessariæ necessitate præcepti, & quamvis non sint de eius essentia, pertinent ad eius integritatem: Nec etiam sufficienter secunda impugnatur sententia, quia nullum est inconveniens gratiam causari per partes, seũ per gradus virtute huius sacr. & auxilia eius partialiter dari, ut magis infrà constabit, & quamvis sit inconveniens, peccata mortalia per frustra remitti, seũ unũ peccatum mortale remitti sine alio, quia quem Deus sanat, perfectè sanat, nõ tamen inconveniens est, unum veniale sine alio remitti, qui est proprius effectus huius sacramẽti, quia peccatum veniale nõ est cum gratia incompatibile, sicut mortale. Tandem quod inquit, sic dicendo novum quid, & singulare de hoc sacr. asseri, quod de nullo alio verificari potest, tantum à veritate abest, quòd potiùs id ex sẽtentia argument is sequitur, non ex aliis. si quidem ut dicebamus, ex a directè sequitur, materiã huius sacram. proximam esse prorsus vagam, & incertam ex eius institutione iuxtà ægrotantis statum, & periculum, quod de nullo alio sacramento verificatur, cùm omnia certam, & determinatam habeant materiam iam ex eorum institutione, modo iam explicato *d.*1. de sacramentis in genere *q.* 1. *a.* 1. nempè determinatam in specie, vel saltem in genere.

At instat Brancatus, hoc totum in Confessione verificati, si enim omnia peccata nequeat infirmus confiteri ex mortis periculo, vel impedimento, alia confessio unius peccati, imò & nullius, si contritionis dederit signa, sufficit ad sacramenti validitatem, & obtinendam absolutionem, & effectum integræ Confessionis, sic ergo dici poterit de hoc sacram. quòd materiam non habeat determinatã, sed in casu necessitatis possit unica unctione ministrari, quę in tali necessitate esset materia sufficiens sacramenti, quamvis aliis non sufficeret, quia id præsumendum videtur de divina misericordia, ut institutionem utilitati, & necessitati languentium accomodaverit, eo vel maximè, quia in qualibet unctione adest sua propria forma, atque materia,

Respondetur negando assumptum, nimirùm verificati Sacram. pœnitentiæ, quòd materiam non habeat determinatam, quamvis enim eius materia non sit determinata in specie, sicut est aqua in baptismo, est tamen determinata in genere, & est una unitate generica, quia est manifestatio peccatorum per signa, qua ratione diximus *d.*5. *q.*16.*art.*2. *n.* 447. mutos teneri ad confessionem per nutus, & alia signa, quia materia illius sacramenti, est accusatio peccatorum in genere non determinando per vocem, vel verba; ita ergo dicendum est in proposito, quòd una unctio sit sufficiens, & necessaria materia huius sacramenti, non autem modò una, modò plures, reliquæ verò potiùs ad integritatem sacramenti spectent, quàm ad essentiam; ex hoc, quòd in qualibet unctione adest sua propria forma, atque materia, potiùs deducendum est, per quamlibet Vnctionem aliquam gratiæ portionem conferri, quia ad singulas Vnctiones completur sensus substantialis formæ, & subiicitur materia, ut magis infrà explicabitur. Et quando etiam de Cõfessione concederetur, quod ait Brancatus, non adhuc de hoc sacramento concedi debet, quia illud sacramentum est maximè necessarium, & ideò oportuit, hominum necessitati illo modo subvenire; hoc autem Sacramentum utilitatis est potiùs, quàm necessitatis, & ideò etiam ratio pietatis hic cessat, Videatur Suarez *d.*41. *sect.* 3. ubi alias affert disparitates,

92 Tertius dicendi modus asserit, gratiam in eo instanti conferri, in quo hoc sacramentum essentialiter completur, & perficitur; perfici autem, & compleri, quando quinq; Vnctiones cum quinq; formis sibi correspondentibus perficiuntur, & hæc videtur communior Recentiorum sententia, quam sequuntur Valentia, Suarez, Aversa, Coninch, Filliucius, Diana, & alii etiam ex nostris, ut Faber, Aret. & Hiribarnes, dicentes, omnes, & singulas unctiones esse de essentia huius sacramenti, ita quòd si Sacerdos faciat duas, vel tres Vnctiones, non conficit sacr. nec gratiam confert, quia hæc confertur solùm in fine prolationis verborum in ultima Vnctione Vnicum verò huius opinionis fundamentum est, quia nullum sacramentum suum causat effectum, nisi quandò est essentialiter completum atqui hoc sacramentum secundum ipsos non completur, nisi in quinta Vnctione, ergo ante quintam Vnctionem suum effectum non confert, imò Faber vult, solùm in septima conferii, quia omnes septem putat, esse de essentia sacramenti: ut suprà dictum est *q.*3.*ar.*1. quarè concludunt, non dari effectum Sacramenti nisi post ultimam Vnctionem, quia omnes formæ partiales, & Vnctiones faciunt unam integram indivisibilem materiam, & formam Sacr. quibus completis datur effectus, & non anteà.

93 Cæterum ad huius sacramenti validitatem necessarias non esse quinque unctiones in quinq; corporis sensibus cum quinque partialibus formis correspondentibus. iam suprà demonstravimus *q.*3.*ar.*1.*nu.*4. Deindè, si non daretur effectus sacramenti, nisi completa ultima Vnctione, & prolatione formæ, sequeretur, non esse proferẽdam formam usq; ad ultimam Vnctionem, ut rectè discurrit Hiqueus loc. cit. probatur consequentia, quia omnis prolatio prior esset inutilis, & fusa, siquidem effectum signatum non haberet, nec tunc, nec postea, nam sacramentum, quod est in usu, non dicitur aliquid causare, quando iam transiit, si nullum post se relinquat effectum, in cuius virtute remissionis effectus fiat, sed quando fit ultima Vnctio cum sua forma, non sunt formæ, aut Vnctiones priores, neque eatum effectus est ultima unctio, quia particularis est, & idem de forma; neque virtute aut significatione priores continet; nec tandem est ordo essentialis inter ipsas Vnctiones, & formas, nam incipiendo ab illa, quæ consueto modo est ultima, æquè benè valeret Sacram. completis reliquis. Tandem falsum est, quod addebatur, omnes formas partiales, & Vnctiones facere unam integram indivisibilem materiam, & formam Sacramenti; nam Vnctiones illæ diversæ non faciunt unam, & eandem Vnctionem, quia quælibet determinatę, & essentialiter suum proprium subiectum respicit, & propter diversitatem instrumentorum peccandi necessariò iterantur, quæ instrumenta, sicut in actione, & virtute sunt diversa, ita etiam ut diversa unguntur; ergo Vnctiones, illæ nec in ratione specifica unctionis Sacramentalis, nec in ratione subiecti proximi, & cuiusque unctionis proprii faciunt unum. Idem etiam de forma probatur, quia quælibet exprimit proprium subiectum unctionis, & ex sensu suo substantiali, & essentiali refert subiectum Vnctionis sibi correspondentis in expressa sua significatione, ut cùm dicitur, *quicquid per visum deliquisti, &c.* sensus autem sacramentalis formę completur, quando completur sensus, quem habet de rigore sermonis, ergo etiam sensus sacramentalis huius formæ toties completur, quoties præmissa unctione integrè profertur. Cùm ergo quælibet forma Vnctionis absolutè significet in ordine ad subiectum proximum Vnctionis, sivè ipsam Vnctionem, sivè effectum sacramentalem, ad quem profertur, nulla coalescere potest cum alia in significatione; Et sic est magis Congruum institutioni, & fini huius sacramenti, ut validè ministrari possit infirmis etiam agonizantibus, sic enim semper fructuosè ministratur, quia eius effectus dantur partialiter, & successivè; at si sacramentum solùm in ultima Vnctione efficax esset, ut hic tertius dicendi modus opinatur, sæpè suo effectu frustraretur, & fructu, cùm illa mortem perfici non posset casu, quo moreretur infirmus antè completas omnes Vnctiones, quod esto Auctores istius opinionis gratis concedant, videtur tamen omninò dissonum institutioni huius sacramenti, quod institutum est in subsidium ægrotantium in periculo mortis laborantium.

94 Quartus dicendi modus existimat, totam gratiam dari per primam Vnctionem, & formam sibi correspondẽtem, reliquas verò unctiones ait, addendas esse ex sola Ecclesiæ consuetudine, non autem ex sacramenti, aut effectus necessitate, atq; ideò per illas novum gratiæ gradum non conferri vi sacramenti, nisi fortè per accidens propter meliorem suscipientis dispositionem; quemadmodum aliqui etiam dixere, in Euchar. totam dari sumptione unius speciei, & in sumptione alterius perfici quidem sacrificium, non tamen novam gratiam conferri; Vndè etiam ex illius sacramenti paritate hoc suum probant assertum, quia sicut in Eucharistia singulæ species gratiam refectionis spiritualis sufficienter significant in hoc sacramento singulæ Vnctiones gratiam confortationis significant sufficienter, atq; ideò sicut ibi datur tota gratia in prima sumptione; ita hic in prima Vnctione; & hic dicendi modus sequitur ex eorum sententia, qui docent, unicam tantùm Vnctionem in quavis corporis parte adhibitam esse sufficientem ad essentiam huius sacramenti. Fundamentum est, quia hoc modo potuit hoc Sacr. institui, videturque utilior hic modus, magisque humanæ infirmitati accomodatus, & periculis, quæ in eo statu occurrere possunt, contingere enim sæpè potest, ut infirmus facta prima Vnctione moriatur; & nulla ratione, vel auctoritate constat, hanc institutionem esse à præcepto Christi Domini alienam, vel à promulgatione Iacobi, vel ab usu Ecclesię; neque ad eam speciale aliquod inconveniens sequitur; nam ad summum sequeretur, posteriores Vnctiones non esse partes huius sacramenti essentiales, sed integrales tantùm, quod non videtur esse inconveniens.

95 At neque hic dicendi modus est idoneus, hinc enim sequeretur, cæteras Vnctiones ultrà primam non esse sacramentales, cum tamen ex propria materia, & forma constent, non secùs, ac prima; cõsequentia patet, quia virtute ipsarum nullus gratiæ gradus etiam minimus conferretur; cùm ex vi primę Vnctionis tota supponatur conferri; Paritas verò ex Sacramento Eucharistię desumpta potiùs est ad oppositum, cùm falsum assumat, sicut enim in Eucharistia datur una pars gratiæ per sumptionem unius speciei, & altera pars per sumptionem alterius; sic etiam dicendum erit in proposito, servata proportione, præterquam quòd est etiam alia manifesta disparitas inter hoc sacramentum, & illud, ut notavit Suarez *d.*41.*sess.*2. nam sacramentum Euch. permanens est, & in facto esse consistit, hoc verò consistit in ipso usu, & fieri, undè sic ut Euch. prius fiat sacramentum, posteà suscipienti applicatur, & tunc effectum conferat; hic verò ipsa sacramenti effectio est eius applicatio, & ideò simul, & dat effectum, cùm primùm perficitur. Tandem adhuc sufficienter humanæ infirmitati provisum esset, & periculis in extremo vitæ agone occurrentibus, si dicamus, dari quidem aliquem effectum gratiæ santificantis in prima, & singulis unctionibus, non tamen esse totalem, sed partialem gratiam respectu adæquati effectus huius sacramenti, & hoc magis consentaneum videtur institutioni huius sacramenti. nam ex una parte salvatur, singulas Vnctiones esse sacramentales, cùm per singulas aliqua pars gratiæ conferatur; & ex alia parte sufficienter provisum erit casibus, qui in hoc sacram. suscipiendo possunt occurrere infirmo, ut si antè omnes quinq; unctiones expletas moriatur, nam iuxta hunc dicendi modum, ut mox magis explicabitur, infirmus accipit gratiam saltem partialem in prima Vnctione, undè etiamsi moriatur, antequam reliquas accipiat, moritur cum gratia sacramentali. Et planè, si per primam Vnctionem tota daretur gratia ex vi huius sacramenti frustrà omninò ab Ecclesia essent quinque Vnctiones ordinatæ, quia essent omninò superfluæ, nam ut inquit Philosophus, frustrà fit per plura, quod potest fieri per pauciora, & æquè benè, at si tota gratia daretur primam Vnctionem, nihil eius per alias conferendum remaneret, & æquè benè haberetur per illam solam totus, & integer sacramenti effectus, ergo &c.

ARTICULUS SECUNDUS.

Probabilior dicendi modus statuitur.

96 Quintus tandem, & ultimus dicendi modus asserit, per singula. Vnctiones dari singulos gradus, seũ portiones gratię ac proindè sicut quinque sunt Vnctiones partiales, quæ integrum constituunt sacramentum, ita quinque vicibus conferri quinque gradus, qui adæquatum huius sacramenti effectum constituant. Ita colligunt Hiq. Alm. Ponc. & alii meliores Scotist. ex Soto 4.*dist.*23.*q.un.ad* 2. ubi asserit, hoc Sacr. esse unum unitate integritatis non indivisibilitatis; & salvet etiam D. Th. *q.*29. *in additionem ad* 3.*par.ar.*2.*ad.*1. ubi hoc Sacr. comparat Sacram. Euch. cuius singulæ species gratiam conferunt; Fundamentum præcipuum est, quia quælibet Vnctio cum sua forma constat ex partiali materia, & partiali forma cum significatione propria effectui proprio respondente, & ad singulas Vnctiones completur sensus substantialis formæ; ergo quævis Vnctio cum sua propria forma est proprium sacram. gratiam conferens; nam sacram. ex divina institutione efficit, quod significat, ad cuius proinde veritatem requiritur, ut effectus eius detur in ultimo instanti completi sui esse si non supponitur obex; ergo si quævis Vnctio cum sua propria forma habet proprium significatum partiale ab aliis distinctum, habebit etiam suum effectum, proprium partialem ab aliis constinctum, neque enim illa forma, aut Vnctio premissa dicit ordinem ad alias unctiones, aut ad eandem formam repetitam in significando.

97 Confirmatur ex ritu ministrandi hoc sacramentum, quia in nullo alio repetitur eadem forma cum iteratione materię absolutè nisi in hoc sacramento; ergo ex iteratione materiæ, & formæ huius sacramenti sequitur diversitas effectus, & efficaciæ; Neque est repugnantia ex parte effectus, scil. gratiæ, ut est remissiva peccatorum, sicut Branc. ostendere nititur, non quidem peccatorum venialium quia non repugnat hæc seorsim, & successivè dimitti, cùm enim sint cum gratia compossibilia, non est connexio inter ea quãtum ad remissionem, ut notat Almainus; Nec etiam ex parte mortalium, sive dicamus, illa per se, sivè per accidens remitti virtute huius sacramenti, quia tolluntur omnia per gratiam primę Vnctionis directè, vel indirectè quidem illa, quæ per organum unctum commissa fuere, indirectè verò, quæ per alia organa, aut interiùs in ipsa mente sunt confumata. Probati etiam potest à paritate Euch. & Ordinis, sicut enim quælibet species Eucharist. & quilibet partialis ordo suum partialem confert effectum; ita in hoc sacramento quævis unctio cum sua propria forma partialem effectum, & gratiam confert; & paritas ex sacramento ordinis deducta adhuc magis urgere videtur, siquidem quia in singulis ordinibus est partialis forma, & materia, ideò singuli essentialiter perficiuntur in ratione sacramenti, & proprios habent effectus, qui sunt partiales respectu totius, sicut ipsi ordines partialia tantùm sunt sacram. unũ totale integrantia. Et hoc tandem satis esse videtur ad subvenien-

dum particulis infirmorum in extremo vitę occurrentibus, etenim ut Suarez etiam advertit *disp.31.sess.2.* quilibet gradus gratiæ ad salutem sufficit, licèt non sit cum tanta perfectione; videtur autem conveniens, ut in huius sacramenti institutione occurrentibus periculis sit ita provisum, ut saltem ea, quæ necessaria sunt, per unam Vnctionem conferri possint, qua de causa Suarez quoque hunc dicendi modum satis probabilem censet, quia sic dicendo salvatur, quomodo prosit infirmo hoc sacramentum, etiamsi moreretur antè completas omnes unctiones, qui est punctus principalis in hac materia præ oculis habendus, ut sæpè inculcatum est suprà.

98 Sed Obiiciunt Primò, nihil asserendum esse in hoc sacramento præter communem Sacram. legem; nisi traditio Ecclesiæ, aut principia tradita id probent; sed communis lex sacramentorum, quæ in usu consistunt, est unicam gratiam conferre, quando completentur, extremam autem Vnctionem dare toties gratiam partialem per singulas Vnctiones, & formas, aut tollere unum peccatum sivè alio, est valdè extraordinarium, ergo non est assetendum.

Confir. quia ut arguit Brancatus, noster, iuxta hunc dicendi modum gratia per partes, seù gradus causaretur, & auxilia, seù alii effectus istius sacramenti partialiter darentur, imò & peccata remittenda per frustra dimitterentur, quod est incongruum respectu Dei, qui perfecta sanat, quem sanat, & respectu infirmi, qui iis indiget adiutoriis, & tandem, quia novum quid, & singulare diceretur de hoc sacramento, quod de nullo alio verificari potest. Demum allata paritas de Euch. & Ordine non valet, quia formæ partiales in Eucharistia sunt indicativæ, in Ordine vero imperativæ, extremæ Vnctionis tantùm deprecativæ; undè singulæ non significant actualem efficaciam, utq; deprecativæ habent veritatem, ex qua necessariò debeat poni effectus ad singulas particulas precationis; sed satis est, quòd pro illo tempore, pro quo petitur, & completur oratio, effectum ponat, ergo disp. est ratio de extrema Vnctione ex una parte, & Eucharistia, & ordine ex alia.

99 Respond. minorem non esse universaliter veram, sed verificari tantùm in iis sacramentis, quæ sunt unum unitate indivisibilitatis, non autem in aliis, quæ sunt unum tantùm unitate integritatis, quale est hoc sacramentum; undè in sacram. ordinis, & Euchar. in fieri quælibet forma habet significationem, & efficaciam propriam, atq; ideò idem etiam de sacramento Vnctionis dici poterit ob rationes allatas, & ex ritu speciali huius sacramenti, nam ex iteratione materiæ, & formæ huius sacramenti sequitur diversitas effectus, & efficaciæ in singulis Vnctionibus, ut suprà dictum est.

Ad Confirmationem patet ex dictis suprà num. 91. nullum esse inconveniens, gratiam partialiter conferri per illa sacramenta, quæ sunt unum unitate integritatis, tantùm, non autem indivisibilitatis, & remissionem peccatorum venialium, quæ est propria huius sacramenti, non esse necessariò connexam, sicut est in mortalibus, undè quando mortalia per accidens hoc sacramento tolluntur, dicendum est, per primam gratiam partialem, quæ in prima Vnctione confertur, remitti omnia peccata mortalia; si quæ in subiecto sunt, invincibiliter ignorata; Nec tandem novum quid, & singulare de hoc sacramento asseritur, quod de nullo alio verificari possit, nam simile quid experimur in sacramentis Euchar. & ordinis, ut dictum est. Ad ultimum dicendum est cum Hiqueo, formam esse deprecativam, indicativam, aut imperativam, nihil facere ad eius veritatem ex instituto Christi convenientem; hæc enim veritas fundatur in assistentia Dei, quæ completo sensu formæ ponit effectum eius infallibiliter, completur autem sensus formæ perfectus, quando supposita Vnctione correspondente profertur sacramentaliter, ut sit in opposito, quia ad singulas unctiones completur sensus substantialis formæ, & subiicitur materia. Argumentum autem aliquam haberet apparentiam, ut bene discurrit præfatus Auctor, si præter formas repetitas daretur alia forma completa huius sacramenti verbalis, quia tunc dici posset, significationem sacramentalem primò, & principaliter fundari in illa forma totali, & completa; sed in proposito non datur talis forma, neq; formę partiales Vnctionem aliquid componunt modum unius orationis completæ.

100 Quæres, quando hoc sacramentum tribuat corporis sanitatem, certum enim est, sanitatem corporis per hoc sacramentum aliquando conferri, ut colligitur ex illo Iacobi: *Oratio Fidei salvabit infirmum*; certum etiam est, non semper conferri, ut experientia docet, quæritur ergo, quando conferatur; Concilium Florentinum & Tridentinum statuerunt, conferri quando, & ubi ad salutem animæ expedierit; sic enim Tridentinum loquitur *sess.14. cap.2. in fine Ægrotus sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur*; & hic etiam est communis Theologorum sensus, & ratio est, quia sicut bona temporalia non conferuntur Sanctis, nisi in ordine ad salutem animę, ita etiam de sanitate corporali sentiendum est.

Sed quamvis hæc sit communis, ut dicebam, Theologorum doctrina, & in præfatis Conciliis expressa, non tamen recipitur à Soto, *4. dist.23.q.1.art.2.* Primò quia sæpè fit, ut sanentur illi, quorum animæ saluti non expedit, & contra, ut moriantur illi quos expediret vivere.

Confi. quia juxta allatam doctrinam solis prędestinatis, & electis talis effectus concedi deberet, & solis iis, qui deinceps essent in gratia perseveraturi cum tamen contingat, aliquos in mortbo unctos, ex illo sanatos posteà in multa gravia peccata labi, & in fine dānari. Tandem, quia nec omnibus, quibus ad salutem animæ expediret conceditur, cum enim, ut plurium non concedatur, non videtur credibile, quòd semper iis non expediret ad salutē animæ, & quòd longior vita esset & eis causa ruinæ. Quare concludit Soto, effectū hujus sacramenti non esse sanitatem, sed auxilium ad sanitatem recuperandam, quod auxilium Deus semper, & infallibiliter confert in extremis uncto iuvando per illud causas naturales, & medicamenta ad faciliùs corporis sanitatem causandam. Quia tamen hoc auxilium de se nō semper est sufficiens ad morbi malignitatem superandam, imò potest nonnunquam ars, & solertia Medici plus ad id conferre, quàm virtus sacramenti, ideò non semper suum sortitur effectum; Verùm hæc Soti speculatio cōmuniter ab omnibus reprehenditur, & temeraria censetur, tùm quia vim hujus sacramēti nimis extenuat, tùm quia expresse afferere non erubescit, plus interdum valere peritiam Medici, quàm vim hujus sacramenti; tùm tandem quia est contrà expressam Conciliorum doctrinam Florētini, & Tridentini, quæ dùm dicunt, salutem corporis per hoc sacramentum conferri, quando animæ saluti fuerit expediens, apertè significant, sacramentum hoc vim supernaturalem continere conferendi corporis sanitatem, quam tamen non semper confert infirmo, sed tantùm quando animæ saluti expedierit.

101 Ad primum itaque respondendum est, quòd quando aliqui post extremam Vnctionem acceptam sanantur, & posteà mal è vivunt, certum non esse, illos, fuisse sanatos, virtute sacramenti, sed potiùs supponi debere, naturaliter fuisse sanatos, siquidē per media quoq; naturalia sanari potuerunt, præsertim si morbus nō fuerit læthalis; Poteat etiam admitti cum Suarez, posse aliquando contingere, ut hoc sacramentum alicui sanitatem cōferat non perseveraturo, & decessuro in gratia, nam ut regula tradita verificetur, sit, est, si pro aliquo tempore sanitas corporalis prosit ad salutē animæ & spiritualem profectum, neque opus est; ut semper per hoc sacramentum sanitatem recuperavit, in gratia decedat, & cùm effectu ad æternam gloriam perveniat. Ad alteram vetò argumenti partē dicendum est, quòd quādo aliqui boni viri moriuntur post Extremam Vnctionem, quamvis tales fuerint, ut secundum humanam prudentiā, & æstimationem adhuc multa bona facere potuissent, si super vixissent, tamen coram Deo sæpè res aliter se habet; Quarè cùm dicitur, hoc sacramentum conferre corporis sanitatem, si animæ saluti expedierit, intelligendum est juxta divinam pręscientiā & ordinationem, non verò secundum humanam existimationem, sic enim explicuit Concilium Coloniense anno 1536. celebratum, dùm dixit, id esse intelligendum *si Deo ita visum fuerit*.

Ad Confir. dicunt aliqui, effectum sanitatis per hoc quidem sacramentum solis prædestinatis conferri, quibus re vera sanitas corporis ad animæ salutem proderit, undè illos, qui post convalescentiam, & sanitatem adeptam in alia gravia peccata labuntur, dicunt resurrecturos iterum ad majorem gratiā; si qui verò in statu peccati decedunt, putandum esse, eos non ex vi hujus sacram. sanitatem accepisse, sed potiùs ex alii causis, & remediis naturalibus. Sed præstat dicere, ex præcedenti doctrina opus non esse, ut semper per qui vi hujus sacram. sanitatem recuperavit, in gratia decedat, sed satis est, quòd ex illo effectu sacramenti quoad salutem corporis, juvandus sit homo quoad salutem, & bonum animæ pro aliquo tempore, licèt fortè in eo non sit perseveraturus; cùm enim finalis perseverātia in bono pendeat ab hominis libertate, quę mutari potest, ideò non sequitur, ut salus, quæ pro tali tempore fuit expedens animæ, sit absolutè expediens pro futura ęternitate, sed satis est, ut dicebamus, quòd pro eo tempore, quo sanatus est, potuerit ei sanitas prodesse ad salutem animæ, quia non omnes perseverant in bono, quod semel adepti sunt.

102 Ad ultimum aliqui argumento pressi gratis concedunt, hunc effectum interdum quidem causari ab hoc sacramento, non tamen infallibiliter etiā in præfata circumstantia, hoc est, sub cōditione, quòd ipsius animæ saluti, & profectui majori expedierit; sicut in universum sacramenta non semper, & omnibus conferunt auxilia efficacia ad illos effectus, ac quos sunt instituta, sed tātùm effectū primarium, & principalē, ita Amicus, Tannetus, Aversa, & alii, Sed cum Concilia absolutè, & sine ulla limitatione dicāt, hunc effectū ab hoc sacramento cōferri in tali circūstantia, nempè sub cōditione, quòd animæ saluti expediat, præstabit dicere, hoc sacramento semper conferri corporis sanitatem sub præfata conditione, intrà illam tamen mensurā gratiæ, & glorię, quę tali animę à Deo prędestinata fuit, solus enim Deus cognoscit, qualis sit gradus gloriæ, ad quem fuit à se prędestinatus, ideò cognoscit, non expedire interdum animabus aliquorum justorum salutem assequi corpoream, quam etiam solutionem approbat Aversa *qu. cit. sec. 7.* & quidem satis rationabiliter, alioquin in hac re semper procederetur in infinitum, semper enim posset Deus ipse facere, ut corporis sanitas, & vita diuturnior ad majus augmentum gratię, & glorię prodesset, atque ideò res hęc intelligi nequit, nisi juxta ordinem divinę providentiæ, ac determinationis circā singulorum salutem, & hoc etiam

etiam significare voluit Concilium Coloniense citatum per illa verba, *Si Deo ita visum fuerit*; ut non tàm referatur ad maiorem animæ profectum, quàm ad divinam providentiam.

QVÆSTIO SEXTA,

De subiecto huius Sacramenti capaci.

103 DUplex à Theologis distingui solet huius sacramenti subiectum, unum quidem proximum, sunt que ipsa sensuum organa immediatè iniungenda; alterum verò remotum, qui est totus homo, diciturque subiectum denominationis, siquidem ex una tantùm unctione in una corporis parte totus denominatur inūctus: de priori subiecto satis dictum est suprà *q.3.* ubi satis etiam declaratum est, quænam partes, & quot ad validitatem sacramenti huius sint necessariò inungendæ, in præsenti igitur quæstione de posteriori subiecto agendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

Quis possit hoc suscipere Sacramentum.

104 HAnc quęstionem brevibus decidit Sc. dist.23. cit. ubi inquit, subiectum huius sacr. capax esse hominem viatorem, baptizatum, adultæ ætatis, & infirmum pœnitentem morti probabiliter proximum; ità loquitur *§. de secunda conclusione*, dùm inquit, quòd hoc sacram. est unctio hominis infirmi pœnitentis &c. & infrà subdit, ideò non debet conferri sano, nec qualitercunque exposito periculo mortis, quia nō ei, cui mors imminet ex periculo extrinseco violentiæ, ut armorum, vel submersionis, vel hujusmodi, nec qualitercunq; infirmo sed periculosē, ita quòd probabiliter sibi imminet exitus de statu viatoris ad terminum: ita Doctor, ex quibus solutio huius quęstionis sufficienter deduci potest.

Primò itaque certum est, solum hominem viatorem, ac proindè in hac mortali vita degentem esse huius sacramenti capacem, quod quidem constat ex principio generali de sacramentis, quæ pro Viatoribus solùm sunt instituta, qui sunt medicinæ capaces, vel augmenti gratiæ, non pro aliis, qui iam sunt in termino; undè quando de vita inungendi dubitatur, inungendus est sub conditione, saltē tacita, si est vivus; Debet etiam hic Viator esse baptizatus ea generali ratione, quòd baptismus est ianua ad reliqua sacr. ut habetur in decreto Eugenii, quia sine illo reliqua Sacr. validè suscipi nequeunt; undè si hoc Sacramentum conferatur non baptizato, etiamsi sit Cathecumenus, & in gratia existens, irritum est, & invalidum, & circà has duas conditiones nulla occurrit difficultas.

105 Secundò debet etiam esse adultus, hoc est, talis, ut ad rationis usum pervenerit, Infantes siquidem sicut non sunt capaces sacramenti Pœnitentiæ, ita neque huius esse poterunt, quod est consumativum pœnitentiæ, ut patet ex Trident. Tùm quia præcipui huius sacramēti effectus sunt remissio peccatorum actualium, præsertim venialium, & robur adversus tentationes in articulo mortis urgentes, at pueri antè usum rationis horum effectuum capaces nō sunt, ut per se patet, ergo neque huius sacramenti; Adhuc tamen plures Theologi rectè docent, sacramentū extremæ unctionis validè conferri posse pueris, qui ad ætatem, & rationis discretionē pervenerunt, ut sacramenti pœnitentiæ sint capaces, quamvis sanctam Eucharistiam nondum receperint, nec ad huc idonei ac illam recipiendam iudicentur, atque ita præscribi in Rituali Parisiensi tit. de extrema unctione, testatur Abellius *c.6. sec.4.* & hoc idem docent Navar. Suar. Aversa, Labatus, & plures alii Recent. Ex quo etiam deducitur; perpetuò amentes esse huius sacramenti incapaces, quia in his quoque verificari nequit forma, & principalis finis, propter quem hoc sacramentum est institutum.

Dices, licèt parvuli non sunt capaces deletionis peccatorum tamen sunt capaces gratiæ, & augmenti; ergò non esset invalidum hoc sacramentū, si eis applicaretur, atque ita videntur eius capaces.

Resp. Suar. *disp.42. sec.1.* negando consequentiam, quia augmentum, vel infusio gratiæ est generalis effectus Sacramentorum, qui per singula Sacr. non datur, nisi ut coniunctus proprtiis effectibus sacramentorum ipsorum, & ideò ubi non est capacitas primarii, & proprii effectus, nec est capacitas sacr. nec effectus communis sacramentorum, quatenus per tale sacramentum conferendus est. At hæc responsio non satisfacit, quia idem dicendum esset de Baptismo respectu eius, cui antecedenter per contritionem, vel baptismum in voto fuisset originale deletum, & tamen hic baptismus esset verum sacramentum, & unum tantùm haberet effectum; Tum quia idem sequeretur absurdum de ipsamet Unctione, si applicaretur carentibus etiam peccato veniali, si omnia supponantur remissa per sacramenta præcedentia Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, vel per alia sacramentalia, & tamen ad huc esset verum, & validum sacramentum, ut dictum est supra *q.4 art.2.n.80.*

106 Respondetur ergo meliùs, sacramenta esse quidem instituta ad causandam gratiam, cùm hæc sit communis eorum effectus, non tamē instituta sunt ad eam quomodocumque causandam, sed tanquam necessariam ad aliquem peculiarem effectum eis proprū; alioquin sequeretur, quod cùm gratia habitualis ab omnibus causata sit eiusdem speciei, eosdem quoq; effectus produceret in singulis sacram. & omnia quoque sacr. eiusdem essent speciei; Hinc diximus in superioribus, Baptismum esse institutum ad causandam gratiam, qua deletur originale, & cætera actualia; Pœnitentiam ad causandam gratiam, qua delentur actualia post baptismum commissa. Confirmationem ad causandam gratiam, qua homo valeat fortiter confiteri fidem, & sic de aliis; sic ergo in proposito extrema Unctio instituta est ad causandam gratiam delectivam secundùm se venialium in homine eorum capaci, ad confortandum contrà tentationes, & ad alleviandam animam, ut constat ex dictis; cum ergo parvuli nec peccatorum, nec tentationum Dæmonis sint capaces, consequenter neque huius sacramenti sunt capaces, nec gratiæ per illud collatæ, quæ de se est deletiva venialium in subiecto capaci eorum; & hac ratione Baptismus B. Virgini collatus fuit validus, quia licèt nullum cōtraxisset originale peccatum gratia Dei præventa in sua Conceptione, fuit tamen eius capax, & debitum habuit illud contrahendi eo ipso, quòd fuit filia Adæ.

107 Dices rursus, licèt pueri ante usum rationis sint incapaces exercitii Confirmationis, & ordinis, adhuc tamen utrumque sacramentum valide possunt suscipere; ergo quamvis suscipere non possint effectum extremæ Unctionis primarium, poterunt nihilominus valdè illam suscipere. Respond. negando paritatem, quia sacramentum Confirmationis, & Ordinis imprimunt characterem, atque ideò nullum est inconveniens, quòd pueri possint hæc sacramenta validè suscipere, sicut & gratiam eorum sacramētalem, quæ tribuit ius ad quædam auxilia præstanda ad actus eorum ritè exercendos tempore opportuno, quamvis enim pro illo statu pueri non sint capaces exercendi huiusmodi actus, possunt tamen illa sacram. eis conferri, quia per se infans est in via perveniendi ad ætatē adultam, in qua poterit actus illos exercere ratione utriusque characteris in eo indelebiliter impressi; At verò sacramentum extremę Unctionis characterem nō imprimit, ratione cuius sit irreiterabile, & conferat ius ad auxilia quædam hic, & nunc in illa ægritudine per ordinem ad effectus, quorum pueri antè rationis usum sunt incapaces: tùm quia extrema Unctio datur præcisè infirmis, qui sunt in via ad propinquam mortem in eorum peccatorum remedium, quæ iam ab eis commissa sunt, non ergo dari potest tunc infantibus, qui adhuc peccate non potuerunt.

108 Sed oritur Difficultas, an necesse sit, hominem habere usum rationis, quando suscepturus est hoc sacramentum, vel licitè ministrari etiam possit iis, qui de facto nullum ostendunt rationis usum dummodò illum antea habuerint. D. Thomas *q.32.art.3.* in supplemento ad 3. partem docere videtur, hoc sacramentum non esse cōferendum, nisi iis, qui actualiter usum rationis exercent, ita ut cognoscant, & cum devotione hoc sacramētum suscipiant, ideoque non debere dari furiosis, & amentibus, nisi in statu aliquo lucidi intervalli, si eo fortè potiantur; Fundamentum est, quia non debet hoc sacramentum dari, cui non potest suum primarium conferre effectum, quia ratione dicebamus, dari non posse infantibus; sed primarius huius sacramenti effectus est animum roborare contrà Demonis tentationes in articulo mortis superandas, qui participari non potest, nisi homini rationis usum habenti, ut de se constat, ergo &c.

Confirmatur, quia non debet hoc sacramentum ministrari, nisi illud petentibus, ut constat ex illis D. Iacobis verbis *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros &c.* quibus significat, eundem, qui infirmatur, debere Presbyteros inducere, sed carens usū rationis hoc sacram. petere non potest, ergo &c. Demum, quia hoc sacram. confert suum effectum mediante motu, & devotione suscipientis, & ideò non potest dari illi, quia non est capax talis motus secundum præsentem statum, in quo tale sacramentum recipit.

109 Communis tamen Theologorum sententia docet, hoc sacr. conferendum esse cuicumque adulto, qui aliquando rationis usum habuit, etiamsi de facto nullum rationis indicium ostendat, dummodò certò non constet, eum, antequam rationis usum amisit, fuisset in peccato, & de illo non doluisse, velut si quis blasphemus in amentiam statim incideret; ita Paludanus, Soto, Navar. Silvester, Suar. Amic. Aver. & ex nostris Hiribarnes, Faber, Brancatus, & alii Recentiores passim, & eandem doctrinam ferè omnia Rituali tradunt, & Catechismus ipse Romanus de hoc sacramento n.9. in fine; deduciturque ex 26. *q.6.cap. Qui recedunt cap. His, qui & cap. Agnovimus*, ubi dicitur, quòd si infirmus baptismum petat, vel sacramentum pœnitentiæ, deinde obmutescat, nec possit amplius loqui, aut petere, est baptizandus. & absolvendus; ergo idem de furiosis dicendum est, & amentibus, tàm in his sacramentis recipiendis, quàm extrema Unctione, in eo enim statu moraliter indicantur, in quo erant antè amentiam, non enim divinæ pietati consentaneum est, ut in tali misero statu tanto priventur beneficio. Accedit, quòd primarius huius sacramenti effectus non est tantùm animi roboratio contra morbi difficultates, & Demonis tentationes, sed præsertim etiam peccatorum venialium remissio, & aliorum quoque inculpabiliter oblitorum, vel quæ per alia

sacra-

sacramenta non fuerunt remissa, ut constat ex superiùs dictis; quâvis ergo amentes in tali statu sint illius primi effectus incapaces, adhuc tamen sunt capaces alterius, scilicet, remissionis peccatorum, fieri enim potest, ut quis in peccato existens cum sola attritione in amentiam incidat, tunc enim virtute hujus sacramenti amens gratiâ accipiet, & de attrito fiet contritus, quia aliquin damnaretur.

110 Quamvis autem hęc ad sacramenti substantiam sufficiant, docet tamen Catechismus *l. c.* Ministros hujus sacramenti curate debere, ut detur fidelibus eo tempore, quo sui compotes sunt, propinque actu possunt se se ad hoc Sacramentum meliùs præparare, estque, valdè consentaneum reverentiæ huic Sacramenti debitæ, & modo operandi ejus; Unde quando amentes actus, faciunt indecentes, & irriverentes, curate debet Minister, ut Sacramentũ conferat eo tempore, in quo furiosus ab illis motibus abstineat, vel saltẽ tempore somni, quòd si neque in his circumstantiis, & cautelis hæc incommoda evitari possint, præstabit ei Sacramentum non conferre, nam absolutè loquendo potiùs indemnitati, & reverentiæ Sacramenti consulendum est, quàm lamentis utilitati; ut notat Brancatus noster *l.c.* vel saltem debet furiosus ligari, exclusis tamen Laicis ad tollendum scandalum, & ita inungi, ut volunt Aversa, Zambranus, Barbosa, Diana, & alii Summistæ.

111 Ad fundamentum in oppositum negatur minor, quamvis enim laboratio contrà Dæmonis tentationes sit proprius, & peculiaris hujus Sacramenti effectus, non tamen est effectus principalis, & principaliter intẽtus, sed est finalis remissio venialiũ per se, mortalium verò per accidens, modo jam explicato *q.4.a.1.* cujus homo est capax etiam in tali statu. Ex quo patet discrimen inter adultos perpetuò amentes, & alios, qui aliquando rationis usum habuerunt quoniam illi nullius horum effectum, qui hujus sacram. sunt præcipui, capaces existunt, sicut isti, non debet autem hoc Sacramentũ illis conferri propter solùm effectum secundariũ, qui est corporis sanitas, nec semper confertur, quando etiam adest rationis usus.

Ad Confir. dicendum, necessarium non esse in infirmo petitionem formalem, & expressam hujus sacramenti, sed sufficere virtualem, & interpretativam in ipsa volũtate inclusam, quam unusquisque habet de propria salute; nam si hoc verum est de Sacramento Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, ut Rituala docent, tantò magis de hoc sacramento verificabitur, quod, ab actibus suscipientis non pendet in suo effectu conferendo.

Ad ultimum, probat solùm, ad majorem reverentiam sacramẽti, & uberiorem fructum suscipientis curãdum esse, ut hoc sacramentum præbeatur infirmis, quando sunt mentis compotes, distinguere autem oportet id, quod sufficit ad substantiam sacramenti, vel quod necessariũ est, ut honestè, & rectè ministretur; ad illum enim non est necessarium, ut qui illud recipit, tunc sit sui compos, aut rationis usum habeat, sed satis est, quòd aliquando illud habuerit, & virtualiter saltem, ac implicitè susceptioni hujus Sacramenti sufficientem consensum præstiterit.

112 Tertio, ut homo sit hujus sacramenti subjectum capax, debet esse infirmus, non utcunque, sed graviter infirmus, itaut de vita periclitetur, idque colligitur ex verbis Apostoli. *Infirmatur quis vestrum &c.* & sic de sensu horum verborum expressit Concilium Florentinum, dùm dixit, *Hoc sacramentum, nisi infirmo, de cujus morte timetur dari non debet*, & Trid. *Non nisi infirmis, qui in exitu vitæ constitui videantur*; Undè ait Doct. *l. c.* non potest hoc sacramentum ministrari constituto in articulo mortis, si talis infirmus non sit, ut qui mox ad patibulum rapiendus est, vel in maris tempestate jactatus non submergendus, vel iturus ad prelium, in quo certò sit moriturus; Potest tamen inungi, qui pestem contraxit, vel qui venenũm accepit, aut lęthale vulnus, propter quod est in periculo mortis, quia jam verè ægrotat, licet causa ægritudinis fuerit extrinseca, & violenta, quod accidentariũ est, & in hoc omnes Doctores conveniunt; Et quidem hoc ita necessarium est; ut infirmitas non solùm sit conditio ad effectum sacramenti requisita, sed etiam ad valorem, quamvis enim Sacramentum hoc non includat subjectum infirmum, tanquam partem constituentem, & materiã componentem, supponit tamen illud, ut conditionem ad sui valorem essentialiter requisitam; quemadmodum Sacramentum Ordinis licèt subjectum, cui confertur, non includat, ut pattem sui constituentem adhuc tamen necessariò illud supponit, ut cõditionem ad sui valorem essentialiter requisita m, unde defectu capacitatis subjecti character Ordinis fæminæ non imprimitur.

Ratio autem, cum infirmis tantùm naturaliter non autẽ aliis aliàs violenter ex hac vita discessuris, paratum fuerit hoc remedium, assignari potest satis cõgrua, quia per ægritudinis molestias corpori sensus adeò doloribus, & anxietatibus opprimi solent, ut facile in desperationem haberetur infirmus, & satis difficulter Dæmonis tẽtationibus resisteret, nisi hoc cœlesti remedio adiuvaretur, qui animam alleviat, & cõfortat, quæ incommoda in aliis decessuris prorsus cessant, cùm integris sensibus, & pleno usu rationis moriantur, quarè divina gratia suffulti ex opere operantis his omnibus incõmodis occurrere possunt. Undè colligere licet, sacramentum hoc esse specialiter, institutum ad roborandum hominem corpore deficientem ob ægritudinem; quando autem sanus est, licèt sit morti vicinus, adhuc naturales vires habet integras, & si deficit; hoc non est ab intrinseco propter ægritudinem, sed per accidens, & ab extrinseco ob violentiam, & ideò non est pro illo Sacramentum hoc institutum.

113 Sed hic emergit Difficultas, an ad validitatem huius Sacramenti pertineat, ut infirmus versetur in verò periculo vitę, an sufficiat, ut tantùm sit in periculo probabiliter putato; Ratio dubitandi est, quoniam sicut ad valorem Sacramenti non sufficit materia, quam quisque probabiliter idoneam putat, sed necessaria est illa, quam Christus reipsa instituit; ita ad valorem hujus sacram. ea infirmitas erit necessaria conditio, quam Christus reipsa instituit, non quam quisque probabiliter putat, unde sicut nõ valeret Sacramentum Ordinis fęminæ collatũ probabiliter putato viro, ita nec sacramentum Extremæ Unctionis valebit collatum infirmo non reipsa, sed probabiliter tantùm putato in periculo vitæ, non enim apparet ratio, cur probabilitas materię sufficiat ad huius Sacramẽti valorẽ, & nõ illius, cùm utrobique eadem ratio militare videatur.

114 Dicendum tamen est, cum Scoto infrà citando, ad valorem hujus sacramenti sat esse, ut morbus probabiliter putetur periculosus Mendicorum, & peritorum judicio, ita Coninch. *disp. 19. dub. 7.* Amicus *disp. 19. sec. 9.* & alii Recentiores, quod satis clarè colligitur ex præcitatis Conc. Trid. verbis, cum inquit, hoc sacramentum illis duntaxat infirmis conferendum esse, *qui in exitu vitæ constituti videantur*, non enim dixit, *sint*, quod designat periculum in reipsa, sed *videantur*, quod ad prudens judicium refertur. Hoc idẽ clarè colligitur ex communi Summistarum doctrina, qui dicunt, expectandum non esse supremum mortis articulum, & inevitabile periculum, quando infirmus animam agit, sed constitutis in mortis periculo, etiamsi alioquin spe vitæ non careant, omninò hoc sacramentum esse conferendum, ut ob sacramenti reverentiam possint aliquem devotionis actum in eis susceptione elicere, licèt enim corporis salus, quando animę saluti expedierit, supernaturali virtute ab hoc Sacramento causetur, certè tamen non est expectandum tempus, in quo sanitas corporalis extraordinario modo, & per miraculum evidens conferatur, quando commodè, & opportunè id fieri possit, nam si casu evenit ut infirmus jam sit perductus in ultimum vitæ discrimen, & punctum, debet adhuc sacramentum conferri, etiamsi nullum possit elicere devotionis affectũ, ita communiter discurrunt Morales in hoc puncto; constat autem, in tali tẽpore, & statu infirmitatis morbum probabiliter tantùm putari periculosum, nec adhuc periculum esse verum, & omninò certũ, cùm non sit adhuc peritùs desperata salus, sicut est in supremo mortis articulo. Demum huc etiam ratio ipsa suadet, quia si hoc sacramẽtum ad sui valorem requireret verum vitæ periculum in reipsa, sequeretur multoties, hoc sacramentum suo effectu frustrari, quia non semper potest moraliter sciri, quando sit verum, & certum periculum mortis, cùm ex causis nobis occultis hoc sępè dependeat. Ex quo etiam patet solutio rationis in oppositum adductæ, dispar enim est ratio de materia sacramentorum, non enim est tanta difficultas dignoscendi eam ipsam, quam Christus reipsa instituit, quanta est difficultas dignoscendi verum mortis periculum, ut benè notat Amicus l. c. nam illa pendet ex causis patentibus, & notis nimirùm ex ipsa Christi institutione nobis manifestata, hoc verò pendet à causis occultis, & pari etiam ratione inter virum, & fęminam aperta intercedit differentia omnibus nota. Iraque ad valorẽ sacramenti hujus satis est, quòd morbus probabiliter putetur periculosus, licèt non esset reipsa talis, & hoc totum expressit Doctor l. c. dùm ait, hoc sacramentum esse conferendum, *non qualitercunque infirmo, sed periculosè ita quod probabiliter immineat sibi exitus de statu viatoris ad terminum.*

115 Sed Dices, Beata Virgo nunquam corporali ægritudini succubuit, quin potiùs absque dolore, & morbo orans, & contemplationi vacans animam Deo reddit, & nihilominùs imminente sibi morte hoc sacramentum ab Apostolis recepit, ut graves testantur Auctores Albertus Magnus, D. Antonius, Bernardinus de Bustis, Canisius, Silvester, & alii, ergo citrà infirmitatem homo est hujus sacramenti capax.

Resp. aliqui, quòd estò B. Virgo nõ obierit ex infirmitate suborta ex primarum qualitatum alteratione, & humorum in ordinatione; obiit tamẽ ex quadã corporis debilitate ab intrinseco sibi proveniente, quę imbecilitas eo usque progressa fuit, ut corpus ab anima naturaliter ampliùs informari non potuerit, & hæc imbecilitas gravi infirmitati æquivalet, & satis est ad ratitudinem, & valorem hujus sacramenti, passim enim concedunt Doctores, hominem se. confectum, & propè mortem debilitatum absque alia in firmitate inungi posse, quia hoc totum gravissimæ æquivalet infirmitati. Verùm hac tota doctrina admissa, adhuc probabius censeo, B. Virginẽ in obitu suo hoc sacramentum non suscepisse, ut sentiunt Paludanus, Gabriel, & Franciscus Victoria cum aliis Auctoribus, quos brevitatis causa omitto, & planè satis rationabiliter, quia nullum istius sacramenti effectum participare poterat, non quidem remissionem peccatorum, cùm nullius actualis culpæ unquam rea fuerit nec alleviationem contrà tentationes Diaboli, aut infirmitatis molestias, contrà quas ex aliis perfectionibus suis erat sufficientissimè

tissimè munita, nec tandem restitutionem sanitatis, siquidem ob eius dignitatem nunquam infirmitati succubuit, ut Patres testantur, nec quidem in ipso mortis articulo, qui proindè eius mortem dormitionem appellant, sicut ergo effectuum sacramenti huius particeps esse non poterat, ita neque eiusdem capax censeri debet, & ita etiam ex nostris sentiunt Hitribarnes, Hiquæus, & Poncius.

116 Quartò tandem dubitatur, an hoc sacramentum ad sui validitatem postulet, ut subiectum eius aliquando peccaverit actualiter, Negant Henriquez, Suarez, Coninc. Filiuc. Dian. Bon. & ex nostris Ponc. Branc. & Aretin. Fundamentum est quia nec ex verbis Apostoli, nec ex Concil. nec ex forma, vel materia, nec ex fine, & effectu primario huius sacramenti colligitur talis conditio, ut qui ungendus est, fuerit aliquando peccati reus; nam verba Jacobi sunt conditionata, *& si in peccatis sit, dimittentur ei*, undè etiamsi nulla sint peccata, adhuc Sacr. conficitur; Forma vero intelligenda est juxtà verba Apostoli, ex quibus est desumpta, nempè conditionatè & potentialiter, non absolutè, & actualiter; & tandem finis principalis huius sacramenti est roborate infirmum ad tentationes Dæmonis superandas, quo subsidio indiget etiam, qui nunquam actualiter peccavit.

Confir. quia ex communi omnium sententia si quis in fine vitæ baptizetur, & viaticum sumat, potest adhuc hoc Sacr. suscipere, etiamsi nullum peccatum post baptismum commiserit, & priora pœnitùs per baptismum fuerint extincta; & pariter si quis post peccata actualia sanctissimè vixerit absque ullo peccato etiam veniali ex speciali Dei privilegio, talis adhuc esset huius sacramenti capax; ergo esset capax, etiamsi nullum anteà commisisset peccatũ. Tandem actualia peccata nõ sunt materia, nec proxima, nec remota huius sacramenti, sicut sunt Pœnitentiæ; ergo fine iis possunt applicari omnia essentialia ad hoc Sacr. conficiendum: Et sicut validum est Baptismi Sacr. collatum subiecto, quod nunquam peccavit, idem pariter de hoc sacram. dici poterit, cùm utrumq; sit remissivum peccati, quod in subiecto sine obice invenit. Et hanc sententiam sequuntur, quicunq; docent. B. Virginem hoc Sacr. suscepisse, ii omnes, quam affirmant, ut homo sit capax huius sacram. opus non esse, ut sit in actuali peccato veniali, vel aliquando in eo fuerit, sed sufficere, quòd in eo esse possit, vel potuerit.

117 Opposita sententia est expresse Scoti loc. cit. dùm in huius sacramenti definitione ponit, quòd sit Unctio infirmi pœnitentis, pœnitens autem non est propriè loquendo, qui nunquam peccavit, sed solùm peccare potuit; ibidem etiam sub lit. B. excludit ab huius sacramenti capacitate perfectè innocentes, qui scil. actu venialia peccata nõ habent, nec habuerunt, licèt potuerint habere; idem etiam docuit D. Bonav. 4. *dist. 23. ar. 2. q. 3.* ad ultimum, licèt pro alia sententia citari soleat, nam sibi obiiciens, falsam esse huius sacram. formam prolatam super organum sensus, quo semper caruit infirmus, ut suprà cæcum à nativitate; respondet negando sequelam, nã estò per illud nunquam peccaverit, actu tamen peccavit interno appetitu optando per tale organum peccare, si illud haberet; si autem S Doct. putasset, ad huius sacramenti valorem sufficere peccatum tantùm in potentia, ad propositam obiectionem solvendam non recurrisset ad actum appetitus interni, sed ad potentiam, qua potuit per tale organum peccare; Et quidem satis clarè deducitur ex Trid. dùm ait, ex sententia Patrum hoc sacramentum esse consumativum pœnitentiæ, ubi enim non potest esse pœnitentia, nec etiam eius consumatio esse poterit; perfectè autem innocens, qualis est qui nunquam peccavit, licèt peccare potuerit, nequit esse subiectum pœnitentiæ capax; ergo neque extremæ unctionis, quæ est eius consumativa, quatenus supplere debet id, quod sacramentum Pœnitentiæ vel non potuit, vel omisit. Idem etiam expressè Conc. indicat, dùm absque conditione ait, abstergere peccatorum reliquias, hoc enim indicare voluit non dari, nisi iis, qui peccarunt. Hoc tandem probant etiam ex veritate formæ huius sacramenti Hiquæus, & Amicus, hanc opinionem tuentes, tanquam probabiliorem, & de mente Doctorum nostrorum Seraphici, & Subtilis, cùm enim forma huius sacramenti remissionem peccatorum expressè importet, ut patet ex illis verbis: *Indulgeat tibi Deus quicquid per visum deliquisti*, planè verificari non potest de subiecto, quod nullum unquam peccatum commisit, sicut nec verificaretur forma absolutionis de subiecto, quod nunquam peccavit; nam licèt neutra forma necessariò supponat actuale peccatum in subiecto, quia fieri potest, ut omnia peccata actualia supponantur remissa, vel per actum contritionis, vel per Sacramentum Pœnitentiæ, & Euch. necessariò tamen supponere debet, saltem præcessisse aliquod actuale peccatum in tali subiecto, ut forma ipsa verificetur, & ut subiectum sit capax gratiæ peccatorum remissivæ, quam confert sacram. Pœnitentię, & extremę Unctionis illius consumativæ, alioquin neutra forma verificari posset, quia nullum peccatum est in huius Sacr. quia Unctio significat spiritualem curationem spiritorum infirmitatis, seù debilitatis, & coniuncta cum dictis verbis liĉtæ, & non ex solo originali, ut dicebat Suarez.

118 Ad Fundamentum oppositæ sententiæ negatur assumptum ut patet ex probatione conclusionis, & Apostolus dicendo, *si in peccatis sit, remittentur ei* sub conditione quidem posuit, si adhuc maneat in peccatis, sed absolutè supponebat, commisisse peccata, adeòut sensus sit, si adhuc sit in peccatis, quæ commisit, remittẽtur ei ipsamet peccata, & non solæ peccatorum teliquiæ abstergentur. Ad Conf. negatur consequentia, nam sufficit, ut aliquando actu peccaverint ad formam hujus sacramenti verificandam, siquidem potest iis etiam denuò, & sæpiùs dari ipsa quoque sacramentalis absolutio, ut *disp. præced.* dictũ est, quę tamen absque peccatis simpliciter dari non potest. Ad ultimum negatur assumptũ, quia sicut remissio finalis venialium est primarius hujus sacramenti effectus, ita pariter venialia finalia sunt hujus sacramenti propria materia, ut constat ex dictis suprà q.4. & dato etiam antecedente adhuc negandа est consequentia, quamvis enim peccata actualia, & eorum reliquiæ non essent materia hujus sacramẽti, sicut Pœnitentiæ; sunt tamen conditio omninò necessaria, ut materia, eoque magis forma hujus sacramenti suam significationem, ac verificationem habeat, suumque effectum primarium præbeat; quarè omninò negandum est, omnia essentialia hujus sacramẽti applicari posse subjecto, quod nunquam peccavit, quia saltem non potest applicari forma quoad suum formale significatum, quæ est gratia peccatum remissiva, qua ratione negatur etiam paritas assumpta de Baptismo, & hoc sacramento, quoniam in forma Baptismi nullum exprimitur peccatum sicut exprimitur in forma extremæ Unctionis.

Dices, posse hoc sacramentum in tali subjecto, quod nunquam peccavit, habere saltem effectum roborationis animi cõtra morbi molestias, & Dæmonis tentationes, ac etiam effectum sanationis corporis, ergo non omninò suo fine frustraretur. Resp. negando assumptũ, quia finis primarius hujus sacramenti, ut sępè dictum est, est remissio finalis venialium, ut patet ex vi verborum formæ; & gratia, quæ per illud causatur, ad eundem tendit finem, ut scilicet, doleat venialia, & det auxilium ad superandas tẽtationes in extremo agone; cæteri autem fines secundarii sunt, & minùs principales, supposita autẽ in homine incapacitate lapsus venialis, vel quòd nunquam actualiter peccaverit, cessaret etiam finis primatius, & præcipuus, ac consequenter alii quoque secundarii, & minùs principales, quia cùm quodlibet Sacramentum principaliter sit institutum propter suum primarium finem in ejus forma expressum, ubi principalem finem suum habere nequit, nec etiam secũdarium habere poterit, quia secundarius est quid accessorium, & propter primarium, ut notat etiam Amicus loco supra citato.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Obligatione, & modo suscipiendi hoc Sacramentum.

119 Quoad primam quęstionis partem Magister sententiarũ Petrus Soto, Turrianus, & pauci quidam alii dixerunt, obligari Fideles sub peccato mortali ad hujus Sacramenti susceptionem, itaut etiam omissio ex sola negligentia sit gravis culpa. Hoc autem præceptum primò deducunt ex scriptura, Iacobus enim videtur hoc præcepisse, vel Christum præceptũ promulgasse dicendo; *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ &c.* Secundò ex Concilijs, nam Concilium Coloniense celebratũ anno 1536. *part. 7. cap. 50.* sic ait, *est autem Unctio impẽdenda cum expositione Unctionis, & mandati Apostolici, quod sic habet, Infirmatur quis in vobis &c.* ubi patet, hanc Unctionem appellat mandatum Apostolicum, & Concilium Senonense celebratum anno 1528. decreto decimo *f.* penultimo de Extrema Unctione vocat Christi præceptum, & Conc. Trid. cap. 3. damnat eos, qui dicunt, hanc Unctionem non continere mandatum Dei, & eos, qui dicunt, posse à Fidelibus sine peccato contemni. Tertiò ex ipsa Ecclesiæ consuetudine, & fidelium, quæ sanè communissima est tàm ex parte infirmorum illud suscipientium, quàm Pastorum illud sollicitè ministrantium, ac etiam familiarium, qui illud in memoriam infirmo inducere student, & Parochum advocare, quando tempus adest, & commoditas, ut id fieri possit. Tandem ex ratione, quia unusquisque obligatur ex charitate erga seipsum consulere suæ saluti quãtum potest, & præsertim in mortis articulo; sed hoc Sacramentum tunc est opportunissimum medium quo se ad mortem præparet, ac disponat, & quo se armet, & muniat adversus molestias, & tentationes tunc urgentes, ergo tenetur tunc illud suscipere.

120 Communis tamen, ac receptissima Theologorum, & Summistarum sententia est, hujus sacramenti susceptionem per se loquendo non cadere sub obligatione, & præcepto, sed esse tantùm de consilio; aliundè tamen, & per accidens posse in ejus omissione peccatum mortale incurri; Quorum unicum, & præcipuum fundamentum est, quia non apparet, undè talis obligatio deduci possit, ut patet discurrendo per singula capita pro obligatione adducta, non enim tale præceptum ex natura rei sequitur ex institutione hujus sacramenti, quia hoc sacramentum non est medium necessarium ad salutem, sed tantùm utile, & ad melius esse, quia potest aliquis sufficienter per Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sanctificari, & salvari; tùm quia hoc sacramentum prohibetur tempore Interdicti, ut patet in cap. *Quod in te pœnitentiis, & remission.* quo tamen non prohibentur media ad salutem necessaria, quamvis autem sic medium maximè conveniens, & opportunum, non tamen tene-

tenetur homo facere, quod melius est, sed solùm adhibere omne medium necessarium, & facere, quod debitum est. Neque est mediũ necessarium necessitate præcepti, non enim tale præceptum invenitur in Scriptura, Apostolus enim hoc Sacramentùm promulgans nullum verbum apposuit, vim præcipiendi habens, sed simpliciter dixit; *Infirmatur qui in vobis, inducat Præsbyteros &c.* Vndè non est locutus præcipiendo, aut promulgando Christi præceptum, sed tantùm docendo, & admonendo, ut Patres exponũt. Nec tale præceptum invenitur in Concilijs, nam Colonienſe, & Senonenſe non loquuntur de præcepto suſcipiendi, ſed ad miniſtrandi hoc Sacramentum, nam ſuperiores, & Paſtores animarum ex vi ſui officii utrique obligantur petentibus illud adminiſtrare, ut patebit q. ſeq. comparat enim ibi præſertim Concilium Senonenſe præceptum ungendi infirmos præcepto, quo Apoſtoli ex inſtituto Chriſti ad prædicandum miſſi infirmos ungebant Marci 6. illud autem non obligabat infirmos, ut Vnctionem ſuſciperet, ſed Apoſtolos, ut infirmis illam adminiſtrarent, atque ideò neque hoc obligat infirmos ſed Paſtores. Nec Conc. Trid. aliquid ejuſmodi inſinuavit nam ſeſ. 7. de ſacramentis in genere ſolùm dixit, non omnia eſſe ſingulis ad ſalutem neceſſaria, in ſeſſ. verò 15. agens de hoc ſacramento tantùm dixit, non poſſe à Chriſtianis ſine peccato contemni, & quando damnat eos, qui dicunt, hanc Vnctionem non continere mandatũ Dei, accipit ibi mandatum Dei pro inſtitutione ipſa Chriſti, ſivè pro juſſione, ut extaret in Eccleſia hoc ſacramentum, ut animarum Paſtores illud haberent paratum ad miniſtrandum.

121 Neque etiam talis obligatio rectè deducitur ex cõſuetudine Eccleſiæ, & Fidelium, nam tempote Interdicti Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ miniſtrantur proximè morituris, non tamen cõcedit Eccleſiæ, extremam Vnctionem adminiſtrari poſſe, ut ſuprà dictum eſt, ergo ex conſuetudine Eccleſiæ non ſufficienter deducitur talis obligatio præcepti; Tùm quia non quicquid ſolitum, & cõſuetum eſt, eo ipſo obligationem inducit, vel ſub obligatione cadit, ſed ſolùm quando introducitur in populo, & inoleſcit obligatio animo, & intentione obligandi, ut dicitur in tractatu de legibus, in hac autem re hactenus non adfuit talis animus, & intentio Eccleſiæ, ſed ſola devotio, & pia voluntas ob majorem egrotantiũ utilitatem. Nec tandem ſufficienter deducitur talis obligatio ex motivo præcepti Charitatis erga ſeipſum, nam infirmus ſuã reddit ſalutem certam, ipſique ſufficienter conſulit, ſi ſacramentum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſuſceperit; undè quamvis ſacramentũ extremæ Vnctionis ſit maximè utile, & optimum ſit conſilium illud ſuſcipere in mortis articulo, nihilominus ſub præcepto nõ obligatur, quia ut dictũ eſt, nõ tenetur homo facere, quod melius eſt etiã ex præcepto charitatis extrà ſeipſum, ſed tenetur adhibere ſolùm omne medium neceſſarium, & facere, quòd eſt debitum. Et hæc vẽra ſunt per ſe loquẽdo, ſpectata nimirùm ſola inſtitutione, & natura hujus ſacramenti, nam aliundè, & per accidẽs poteſt incurri peccatum mortale in ejus omiſſione, ut in ſecunda parte aſſertionis dictum eſt, nam ratione ſcandali, vel contemptus poſſet infirmus graviter peccare, hoc ſacram. omittendo, ut fusè declarat Averſa *q. cit. ſec. 9.* cum Suar. *diſ. 44. ſec. 1.* ſecluſo verò contemptu, & ſcandalo ſi nulla ſubſit cauſa omittẽdi, peccabit venialiter, ut sẽtiũt Conic. Lavm. & Amicus, non autem mortaliter. Atq; ita concludendũ eſt, nullam eſſe hujus ſacramẽti recipiendi obligationem, ſi ſecundum ſe præciſè conſideretur, & ex vi ſuæ inſtitutionis, licèt enim utiliſſimum ſit, & ſalubertimum, nullam tamen nec medii, nec præcepti neceſſitatem fert ſecum; fieri tamen poteſt, ut interdum infirmus mortaliter peccet illud omittendo, ſi v. g. ex cõtemptu omitteret vel qua mvis abſit contemptus, ſi ex neglectu illus ſcandalũ ſequatur, aut ipſe infirmus probabile aliquod periculũ ſalutis incurrat, quia nullum aliud Sacram. ſuſcipere poteſt, quo ſe morti præparet.

122 Sed quamvis hęc ſit communis, ut dicebam, receptiſſima opinio in omni Schola, adhuc tamen Poncius ex noſtris *diſp. 47. q. 4.* in fine tenet, infirmum eſſe obligatum ſub mortali, ut quando cognoſcit, ſe in periculoſo morbo, curet, quantùm in ſe eſt, hoc ſacramentum ſibi adminiſtrari; Ratio ejus eſt, quia utilitas maxima ſpiritualis hujus Sacramenti in ordine ad ſalutem animæ, ac etiam ſanitatis corporalis videtur, ex terminis exigere, quòd qui ipſum, negligeret in ordine ad hoc applicare in caſu, in quo non ſunt alia media per ſe inſtituta ad ſupplendam illam utilitatem, peccaret mortaliter, ſed in gravi infirmitate non eſt aliud medium à Deo per ſe inſtitutum ad dandam ſanitatem, ſi expediat, neque ad alleviandum infirmum, hoc eſt, ipſum conſortare, & adiuvare efficaciter contrà tentationes Diaboli, quæ ſanè tentationes, niſi Deus ſua gratia nobis ſubveniret ſine dubio nos impedirent.,

Confir. quia quamvis Deus poſſit extraordinariè efficere, ut ſine cultura terra produceret frumentum neceſſarium ad reſtaurationem temporalis vitæ, tamen ſi quis indigens illa ſuſtentatione, & obligatus ipſam ſibi procurare omitteret media ordinaria ad colendam terram, peccaret mortaliter, ergo qui omitteret, medium ordinatum hujus ſacramenti, cùm poſſit commodè illud applicare, peccat mortaliter.

123 Reſp. vix moraliter dari poſſe caſum, quo infirmus defectu aliorum mediorum ad hujus ſacramenti ſuſceptionem obligetur quia cùm hoc ſacramentum à Sacerdote neceſſariò miniſtrari debeat, poterit infirmus loco hujus ſacramenti ſuſcipere ſacramentũ pœnitentiæ, vi cujus directè abſolveretur à peccatis confeſſis, & indirectè ab oblitis, quod ſufficit ad animæ ſalutem, ac etiam ad eam confortandam contrà Diaboli tentationes, fortior enim evadit eo ipſo, quòd à peccatorum onere alleviatur, & quamvis ad hunc finẽ ſit præcipuè hoc ſacramentum inſtitutum, nulla tamen obligatio extat ad eum ſuſcipiendum, cùm non ſit neceſſarium nec neceſſitate medii, nec neceſſitate præcepti, ut patet ex dictis, & ſint alia media ad hos fines conſequendos inſtituta, nempe Confeſſio Contritio, & Euchariſtia cum attritione peccati invincibiliter ignorati ſuſcepta; Solus poſſet fingi caſus, ut notant Suarez, Averſa, Amicus, & alii quo ſacerdos, vel nollet, vel non poſſet, ſola abſolutionem ignoraret, infirmi Confeſſionem excipere, vellet autẽ, & poſſet ſacramentum Vnctionis miniſtrare, in hoc enim caſu ſatis probabile eſt, quòd ſub mortali teneretur hoc ſacramentum ſuſcipere quia cùm nequeat eſſe certus de vera Cõtritione, & ex ſuppoſitione non ſuppetat ipſi aliud Sacramentum ſuſcipiendum, tenetur adhibere certius medium ad ſuam juſtificationem, hoc autem in eo caſu aliud eſſe non poſſet, quàm hoc ſacramentum, ſuppoſito quòd nec etiam Euchariſtiam ſumere poſſit, quod inveniens ſubjectum attritum faceret illud contritum.

Ad Confir. negatur paritas, & cõſequentia, quia ad ſalutem animæ conſequendam, & peccata remittenda in articulo mortis præter hoc ſacramentum alia quoque media inſtituta, nempẽ Confeſſio, Contritio, & Euchariſtia cum attritione peccati invincibiliter ignorati ſuſcepta, at ad ſuſtentationem temporalis vitæ cum frumento, & pane neceſſaria eſt terræ cultura neceſſitate medii juxtà illud Geneſis, *in ſudore vultus tui veſceris pane &c.*

125 Quoad alteram quæſtionis partem de modo ſuſcipiendi hoc ſacramentum, & diſpoſitione ad illud requiſita, eſt etiam communis ſententia, & Eccleſiæ praxis, infirmum ſui compotem ſacramẽtum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ recipere debere, priuſquam extrema Vnctio ſibi conferatur, ſi tempus, & ipſius infirmi conditio, ſeu diſpoſitio id permittat, ita declarat Rituale Romanum, & etiam Catechiſmus Romanus, qui vocat hanc Eccleſiæ conſuetudinem perpetuam, ac proindè ait, eſſe ſecundam, quod obligationem denotat, *ſecunda eſt* inquit nu. 12. *Catholicæ Eccleſiæ perpetua conſuetudo, ut antè extremam Vnctionem Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſacramentum adminiſtretur* Et hoc etiam indicavit Scotus diſt. 23. cit. ſub B. dùm ait, hominem pœnitentẽm eſſe hujus Sacramenti capacem, & rationem reddit, quia nullus eſt illius capax, niſi ſit in gratia, iſtud enim ſacramentum non eſt remedium acquirendæ primæ gratiam, nam duo tantùm ſunt ſacramenta ad hoc per ſe inſtituta, ſcilicet, Baptiſmus, & Pœnitentia, quę proindè dicuntur ſacramenta mortuorum, hoc autem eſt de numero eorum, quæ vivis applicantur, ac proindè illud ſuſcipiens ſupponitur eſſe in gratia per ſacramentum Pœnitentiæ præcedens.

125 Quæres, an facta tali præparatione pro receptione hujus ſacramenti, neceſſaria ſit adhuc ulterior diſpoſitio poſitiva per aliquem virtutis actum, vel ſufficiat ſola diſpoſitio negativa, idẽſt, nõ ponere obicem. Brancatus noſter d. 40. a. 15. putat, ſolã diſpoſitionem negativam non ſufficere, ut dignè hoc ſacramentum ſuſcipiatur, ſed omninò neceſſariam eſſe diſpoſitionem aliquam poſitivam per aliquem virtutis actum, vel charitatis in Deum, vel pœnitentiæ virtutis, aut Religionis circà ipſum ſacramentum, quod probat præſertim ex Rituali Romano cap. de extrema Vnctione, ubi præſcribit hoc, ſacramentum miniſtrari debere infirmo cum integris ſenſibus exiſtenti, hoc autem neceſſarium non eſſet, ſi ſufficeret, ut infirmus merè negativè ſe haberet, & ideò inquit, *eo tempore miniſtrari debere, in quo adhuc in illis integra mens, & ratio viget, ut ad uberiorem ſacramenti gratiam percipiendam ipſe etiam ſuum fidem, ac piam animi voluntatem conferre.*

Verùm facta ea præparatione pro hujus ſacramenti perceptione neceſſariam non eſſe ulteriorem diſpoſitionem poſitivam, ſed ſufficere negativam, idẽſt, non ponere obicem, jam ſuprà dictum eſt q. 4. art. 1. n. 70. quod etiam expreſsè fatetur, Brancatus ipſe in fine ejuſdem articuli, cùm enim ſibi objeciſſet, debere Eccleſiam miniſtrare ſacramentũ hoc moribundis ex improviſo, etiamſi ſciat, eos per plures menſes præcedentes cauſiſſe ſacramento pœnitentiæ, reſpondet, quòd tales moribundi vel dederunt ſigna contritionis, vel ſigna cõtraria, vel merè negativè ſe habuerunt, ſi primũ ſufficienter ſunt diſpoſiti, quia Sacerdos accedens ad ungendum, primò eos abſolvit in vi præcedentium ſignorum, deindè ungit, ſi contraria adfuerint ſigna, non confert ſacramentum, ſi tandem negativè ſe habuit circa hos actus externos, præſumit Eccleſia, quòd tales nõ habeant mortalis, vel internam habeant contritionem, & charitatem erga Deum, & ideò eis permittit, dari hoc ſacramentum, ut ſtatuit Rituale Romanum dicens, quòd *ſi infirmi, dùm ſana mente, & integris ſenſibus eſſent, dederint ſigna contritionis etiamſi deindè loquelam amiſerint, vel mentes effecti ſunt, & delirent, aut non ſentiat nihilominùs præbeatur*; Et poſtea *art. ſeq. 16. §. 2.* loquens de primario hujus ſacram. effectu, qui eſt remiſſio venialiũ, ait, hunc effectũ cauſari ab hoc Sacramento ex opere operato, dummodò ſuſcipiens nõ

ponat obicem per complacentiam, quod probat, quia niſi ita cauſaret, parvam, aut nullam quoad hoc utilitatem infirmo adduceret, deberet enim id præſtare ex opere operantis; hoc autem maximùm eſſet infirmo incommodum, quia actus multos deberet exequi cum magno labore, deberet enim conari ad reminiſcendũ illa, deindè ea deteſtari. Ita Branc. verbatim *loc. cit.* quibus clarè fatetur, dummodò ſuſcipiens ſit in ſtatu gratiæ, ad validitatem hujus ſacramenti, & effectum ejus conſequendum non eſſe neceſſariam diſpoſitionem poſitivam, ſed ſufficere negativam, hoc eſt, non ponere obicem; Dùm autem ait, Rituale Romanum debere hoc ſacramentum miniſtrari infirmo, quando eſt mentis compos, & ratio viget; hoc ſolùm hortatur pro majori reverentia ſacramenti, & ad uberiorem ejus gratiam percipiendam ex opere operantis, ut patet ex ejus verbis, non autem ad ſimpliciter effectum ejus conſequendum, nam ſine hujuſmodi actibus infirmi adhuc haberetur per hoc ſolùm, quòd non ponat obicem; undè & infrà permittit, etiam amentibus, & delirantibus conferri poſſe, ſi antèà dùm erant mentis compotes, illud petierunt, vel ſigna contritionis dederunt.

126 Adhuc tamen verum eſt, quòd ſi infirmus extrema vi morbi oppreſſus conſiteri non poſſit, debet actum contritionis, vel ſaltem attritionis elicere, ut ſacramenti hujus virtute peccatorum remiſſionẽ percipiat; ſic enim adhuc in iſto caſu neceſſitatis cẽſetur ſufficienter diſpoſitus, quia ſi veram habeat cõtritionem, eo ipſo peccatum deletur, ſi verò habeat attritionem, adhuc valdè probabile eſt, ut inquiunt Suarez, Navar. Iſambertus, Ponc. Abellius, & alii plures, quòd hoc ipſum ſacramentum, ut eſt conſumativum pœnitentiæ juxtà phraſim Patrum, & Concil. poſſit per accidens tollere peccata illius, & conſequenter illa attritio erit ſufficiens diſpoſitio ad ipſius ſuſceptionem; quamvis enim hoc ſit proprium, & ſingulare privilegium Baptiſmi, & Pœnitentiæ, quæ proindè dicuntur ſacramenta mortuorum, ac proindè eis ſolùm per ſe, & ex vi eorum inſtitutionis convenit; adhuc tamen valdè conſentaneum eſt divinæ pietati, ut hoc etiam privilegium ſaltem per accidens huic ſacramento convenire poſſit ratione ſummæ indigentiæ, quam habent infirmi in illo extremo agone, in quo maximè illis Deus aſſiſtit juxtà illud Pſalmi; *Domini Domini exitus mortis*. Quòd ſi contendas cum aliis, ſolam attritionem non ſufficere in propoſito cauſu pro ſufficienti diſpoſitione ad hoc ſacramentum recipiendũ, ſed eſſe debere, vel veram contritionem, vel ſaltem talem putatã, quãvis juxtà hanc ſententiam infirmus fructus ſacramenti nõ perciperet, & à parte rei inutiliter ſacramentum eſſet ei collatum; adhuc tamen Miniſter non inutiliter, nec malè ipſum adminiſtraret, quia probabiliter putat, illum eſſe bene, & ſufficienter diſpoſitum,

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Miniſtro hujus Sacramenti idoneo.

127 DUę tantùm perſonæ per ſe interveniunt in hoc Sacramento, nempẽ ſuſcipiens, & miniſtrans, undè ad illas tantùm pertinere poſſunt obligationes, ſeù præcepta, ſi quæ ſunt in hoc ſacramento conjuncta; De ſuſcipiente, & ejus obligationes ſatis dictum eſt *quæſt. præc.* reſtat igitur, ut pro complemento hujus Diſputationis in hac quæſtione ultima agamus de Miniſtro, & ejus obligationibus in hoc ſacramento adminiſtrando, quod duobus ſequentibus articulis breviter expediemus,

ARTICULUS PRIMUS.

Quis poſſit hoc Sacramentum miniſtrare.

PRo reſolutione quæſtionis quoad hanc partem; primò certum eſt, & tanquam de fide tenendum, Miniſtrum hujus ſacramenti idoneum, qui unctionem perficiat, & verba deprecationis proferat, eſſe ſolum Presbyterum, hoc eſt, Sacerdotem ritè ordinatum, & quidem non ſolùm de obligatione præcepti, ſed maximè etiam de neceſſitate, & valore ſacramenti, adeò quòd ſi Laicus attentet, nihil faciet, ſicut ſi non Sacerdos attentet Euchariſtiam conficere, nihil faciet; Et ita contrà Hæreticos hujus temporis definitum fuit in Conc. Flor. & Trid. *ſeſſ. 14. de Extrema unctione cap. 3. & can. 4.* idque clarè deducitur ex verbis illis Jacobi; *Inducat præsbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo*, quibus verbis idẽm Presbyteris tribuitur oratio, & unctio ſimul; & per Presbyteros hoc loco non intelligi ætate Seniores, ut Hæretici contendunt, ſed officio, & dignitate, declaravit idem Conc. Trid. *cap. 3. cit.* dicẽs quòd *eo nomine non ætate ſeniores, aut primiores in populo intelligẽdi veniunt, ſed aut Epiſcopi, aut Sacerdotes ab iis ritè ordinati per impoſitionem manuum Præsbyteri.* Et hoc totum jam pridẽ docuit Scot. noſter 4. d. 23. ſub lit. D. dicens, Sacerdotem eſſe hujus Sacramenti Miniſtrum idoneum, non ſolùm, qui licitè exerceat, ſed qui ſolus miniſtret, itaquod ſi alius attentaret, nihil faceret, & hoc ait, exprimi à Jacobo per illud; *Inducat Præsbyteros.* Et ratio conguitatis ſic etiam poſtulabat, cùm enim hoc Sacramentum ſit pœnitentię conſumativum, ut Patres, & Concilia loquuntur, hæc enim unctio ſubnectitur ad finalem, & pleniorem peccatorum remiſſionem; convenientiſſimè fuit à Chriſto inſtitutum, ut ejuſdem Miniſtri officium ſit dicere; *Indulgeat tibi Dominus quicquid deliqueſti*, cujus fuerat pronunciare, *Abſolvo te à peccatis*; & cùm Sacerdotalis ordinatio duas habeat partes, unam, qua præbetur poteſtas in corpus Chriſti verum, hoc eſt, poteſtas ad conficiendum Euchariſtiæ ſacramentum; alteram ſuprà corpus Chriſti miſticum, hoc eſt, ad remittenda peccata pœnitentium, in hac ſecunda parte ſimul continetur poteſtas ad miniſterium Vnctionis; Ex quo tandem ſequitur, nulla neceſſitate, aut diſpenſatione, deficiente Sacerdote, poſſe hoc ſacramentum miniſtrari ab alio Clerico, vel etiam Laico, ſicuti conſtat de Baptiſmo, ut opinatus eſt Uvaldenſis *tom. 2. de ſacramentis cap. 163.*

128 Sed obiici ſolet Primo, quòd Innocẽtius Primus in Epiſtola ad Decentium Epiſcopum Eugubinum ait, non ſolùm Sacerdotibus, ſed omnibus Chriſtianis licitum eſſe uti hac unctione in ſui, ac ſuorum neceſſitate, & ſunt ejus formalia verba; ergo non eſt ſolius Sacerdotis hoc ſacramentum miniſtrare.

Confirmatur, quia Baptiſmi quilibet homo eſt idoneus Miniſter ob ejus ſummam neceſſitatem; ergo idem erit de hoc ſacramento dicendum ob ſummam ejus indigentiam in extremo vitæ ad ſuperandas morbi moleſtias, & Dæmonis tentationes, & eſt divinæ pietati valdè conſentaneum, ut ita hoc ſacramentum inſtituerit. Demum quia Apoſtoli ungebant Marci 6. & tunc Sacerdotes non erant; ergo Laici quoque potuerunt hoc ſacramentum miniſtrare ſaltem in caſu neceſſitatis; Conſequentia probatur, quia tunc inſtitutum fuit hoc ſacramentum, vel ſaltem inſinuatum, ut ait Concilium Trid. atque ita tunc inſinuatus Miniſter.

Reſp. aliqui, Innocentium in præcit. Epiſtola non loqui de oleo ab Epiſcopo conſecrato, quod eſt hujus Sacramenti materia, ſed de aliquo alio oleo, quò tanquam ſacramentali aliqui infirmi utebantur, eo modo, quo fideles utũtur aqua benedicta; Sed quia hæc ſolutio textui non eſt ſatis accomodata, in quo ſit expreſſa mentio de oleo ab Epiſcopo cõſecrato, non eſt recedendum à cõmuni ſolutione, Pontificẽ ibi non loqui de activa adminiſtratione hujus Sacram. ſed ſolùm de uſu paſſivo, atque ideò declarat, omnes Chriſtianos, nõ ſolùm Sacerdotes, ſed etiam Laicos poſſe, & debere hoc ſacramentũ recipere, quæ ſolutio ex ipſo contextu deducitur, in quo de hoc uſu paſſivo immediatè antè locutus fuerat Pontifex.

129 Ad Confirm. negatur conſequentia, cùm ſit manifeſta diſparitas de baptiſmo, & hoc Sacramento, nam convenienter quidem ita inſtitutum fuit de baptiſmo ob ejus præciſam neceſſitatem; at hoc non eſt ſacramentum neceſſitatis, ſed tantùm utilitatis, quia poteſt aliquis in extremo vitæ per ſacramentum pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, ac etiam per contritionem, ſufficienter ſanctificari, & ſalvari, ut dictum eſt *q. præc. ar. 2. n. 123.* Ad ultimum patet ex dictis *q. 1. hujus Diſp. ar. 2. n. 14.* unctionem illam Marci 6. fuiſſe curativam morborum corporis, non verò Sacramentalem.

Secundò certum eſt, quemlibet Sacerdotem poſſe, validè hoc ſacramentum adminiſtrare; Ita Doctoris cõmuniter, & clarè deducitur ex verbis Apoſtol. in quibus nulla fit exceptio, ſed abſolutè dicitur. *Inducat Præsbyteros*, & ratio etiam ſuadet; valere hoc ſacra à quocunque Sacerdote miniſtratum, quia omnis Sacerdos habet poteſtatem ordinis, quo ſola hic requiritur ad valorem; Ex quo ſequitur, validum eſſe ſacramentum extremæ unctionis, etiam à Sacerdote excõmunicato collatum, & quavis cenſura ligato, & imo & in Eccleſia degradato, ſicut valeret etiam Euchariſtiæ conſecratio, quia nempẽ character ordinis nunquam deletur, undè quando dicitur, ſoli Sacerdoti, & cuicunque competere hoc ſacramentum infirmis conferre, intelligitur ratione poteſtatis ordinis, nam loquẽdo de poteſtate juriſdictionis non licet omnibus Sacerdotibus indifferenter hoc Sacramentum conferre, ut poſteà dicemus,

Dices; iſtud ſacramentum eſt veluti conſumativum Sacramenti Pœnitentiæ; ergo debet adminiſtrari à Sacerdote eo modo, quo ſacramentum Pœnitentiæ; at ad hoc validè miniſtrandum non ſufficit poteſtas ordinis, ſed requiritur etiam poteſtas juriſdictionis; ergo idem pariter de Sacramento extremæ unctionis dicendum erit.

Reſp. negando paritatem, quia cùm pœnitentiæ ſacramentum per modum judicii exerceatur, exigit neceſſariò neceſſitate ſacramenti juriſdictionem in Sacerdote, alioquin non valeret, quoniam abſolutio datur in eo foro, per modum judicialis ſententiæ, quæ certè non valet, niſi à legitimo Judice proferatur; at verò ſacramentum extremæ unctionis non eſt per modum judicii, ſed potiùs medicinæ, atque adeò quãvis exigat juriſdictionem in Sacerdote, ut licitè miniſtretur, ut ſtatim dicemus, nihilominus validum eſſet ſacramentum ratione ſolius poteſtatis ordinis, quia miniſteria, quæ exigunt ſolam poteſtatem ordinis, ſeù characteris, & non juriſdictionis, à quolibet habente Sacerdotium poſſunt validè conferri, ut patet de Euchariſtia.

130 Tertiò, etſi validè hoc ſacramentum à quocunque Sacerdote adminiſtrari poſſit, non tamen licitè, niſi vel in extrema neceſſitate, vel de proprii Paſtoris licentia ſaltem tacita; quia hoc ſpectat ad debitũ regiminis modum, & ordinatum exercitum poteſtatis